DE PROPERTIO

SERMONIS NOVATORE ET AMPLIFICATORE.

(PARTIC. I ET II.)

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTORATENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS SCHNEIDER

COLONIENSIS.

ARGENTORATI

APUD R. SCHULTZ ET SOCIOS

MDCCCLXXXVIII.

Sermonis quae extant apud veteres scriptores peculiaria, non solum de consilio ab ipsis auctoribus procreata et a legentibus observata esse, ex Hor. a. p. 47-72, epist. II, 2, 109-125 discimus, sed etiam propius ad ea cognoscenda et colligenda accessisse antiquitate iam viros doctos, nec non disciplinam quandam earum rerum factam esse a grammaticis, certe scimus. Etenim Iulii Romani testimonio apud Charisium (gramm. Lat. I. ed. Keil. inde a 194, 11) servato conperimus, scripsisse Statilium Maximum ‚de singularibus apud Ciceronem positis', cuius libri in lexici, ut videtur, modum conpositi rationem e locis ad verbum a Iulio Romano laudatis cognoscere nobis licet (cf. Teuffel, Gesch. d. röm. Lit. 374, 5.); simile quoque de Catone opusculum confecisse eundem grammaticum, e fragmentis ibidem servatis probavit Th. Bergkius (Ztschr. f. Alt-Wiss. 1845, pag. 116 sq.). Quae studia diu abolita nostro demum tempore excitata et ad nonnullos cum Graecorum tum Romanorum conlata sunt scriptores: sic, ut exempli gratia aliquos exhibeam, Bernh. Todtius ‚de Aeschylo vocabulorum inventore' commentationem scripsit Halis 1855, L. Friedlaenderus (Philol. VI, 228 sq.), R. Volkmannus (commentation. epic. Lips. IV, pag. 115 sq.), Homeri ἅπαξ εἰρημένα colligere instituerunt. C. Besta ‚de verborum compositione Plaut.' Vratisl. 1876, R. Schubert ‚de Lucr. verborum formatione' Halis 1865, C. Wolff ‚de Lucr. vocibus singularibus' Halis 1878 egerunt. De Augusteae denique aetatis poetis disseruerunt: Th. Ladewig ‚de Vergilio verborum novatore I' Neustrelitz. 1869, Car. Zangemeister ‚de Horatii vocibus singularibus' Berol. 1862. Quam commentationem laudavit et, ut exsisteret, qui in Catulli, Tibulli, Propertii carmina eandem operam transferret, adhortatus est Luc. Muellerus in indice gramm. Catulli carminibus adfixo pag. 129. Quod igitur suscepit Franc. Teufelus libello edito, cui titulus est ‚De Catulli, Tibulli, Propertii vocibus singularibus' Friburgi-Brisg. 1872, quomodo autem munus illud administraverit, infra videbimus. Cuius generis quaestiones, quamvis non certa semper efficiant iudicia

propter permagnum deperditorum librorum numerum, sed aliquam tantum veritatis speciem plerumque sibi vindicare possint, tamen aptae sunt et utiles nec non necessariae ad eam legem muniendam et sanciendam, quam merito tulit Zangemeisterus l. l. p. 3: ‚ne cui voci vel dictioni propterea solum quia semel tantum extat, probitas fidesque abrogetur'. Ad scriptoris autem ingenium percipiendum et ad loquendi sollertiam, vim, copiam cognoscendam et statuendam non multum proficiunt. Neque enim ea modo invenit quisquam scriptor vocabula, quae unus testatur, sed etiam alia, quae posteriores receperunt et nonnunquam pervulgaverunt, ab illo profecta sunt. Qua de causa Dindorfius in fine lexici Aeschylei pag. 404 Todtii dissertationem supra l. non sine laude commemorat, tamen quia alterum quoddam desit, vituperat absque eo, qui in ea vocabula inquisiturus sit, postulat, ut duplici fungatur officio: primum ut ea enarret, quibus is, de quo agitur, scriptor primus et solus usus esset, deinde ea, quae primus quidem, verum non solus, sed etiam alii post eum adhibuissent.

At ne tum quidem, cum omnia ea vocabula, qua vult Dindorfius ratione congesta et disposita habebis, subpeditare putes eum numerum ad verum de vocabulorum usu illius scriptoris proprio et peculiari iudicium. Restat enim alterum scriptorum et poetarum inprimis negotium, quo vocum notiones novo modo transferre ideoque notis vocabulis novam subdere solent significationem, nec tertium denique, quo nova verborum iunctura novas sententias proferunt, quod Hor. a. p. 47 sq. indicat:

‚notum si callida verbum
Reddiderit iunctura novum'.

Duabus autem hisce rebus multo magis quam illa efficitur sermonis proprietas; quam vero cognoscere magnopere interest eius, qui alicuius scriptoris aestimare vult elocutionem.

Quod ut eveniat de Propertio, praeter illam duas quoque has sermonis mutandi rationes percontari, quantumque tribus hisce generibus novaverit poeta, illustrare conabor.

A vocabulis igitur a poeta fictis exorsus deinceps progrediar ad ea, quae novo modo transtulit, ea ultima tractaturus, quae peculiariter coniunxit. Eo autem utar ordine, ut, quae a

posterioribus recepta sunt quaeque solus praebet, permixta tractem; nam utrum casu an consilio factum sit, ut haec a posterioribus repetantur, illa singularia manserint vel tamen nobis hoc tempore probentur uno tantum exemplo, disquirere et demonstrare rarissime nobis continget. Adtingere quoque vulgaria ad intellegenda et conprobanda nova aut singularia, saepius oportebit, nonnunquam necesse erit. Ceterum hisce quaestionibus etiam ea contineri, quae ad rem grammaticam pertinent, et praecipue de arte syntactica fusius agendum esse liquet. Singula autem non solum ita expositurus sum, ut, quid de eis censuerint viri docti, enarrem, sed etiam ut de illorum sententiis diiudicem et, quid mihi videatur, suo quidque loco proferam. In numeris denique adscribendis sequor editionem Luc. Muelleri.

Antequam rem ipsam adgrediar, officio fungi me decet carissimo simul et tristissimo: pio enim animo meminisse debeo hoc loco Augusti Reifferscheidii, quem virum doctissimum, humanissimum nuper defunctum esse magnopere doleo. Etenim omnia rexit mea studia fidissime et in tractanda hac quaestione, ad quam animum meum convertit, re consilioque semper mihi praesto fuit. Gratias igitur quam maximas ago Manibus viri optimi, cui in perpetuum sum devinctus.

Cum initium nobis faciendum sit a loquendi elementis, ea prima consideranda et ad suum quodque genus revocanda esse, quae in re grammatica propria et nova procreavit Propertius, consentaneum est. Sed huic rei operam iam navavit Paulus Heymann (‚In Propertium quaestt. grammaticae et orthographicae' diss. inaug. Hal. Sax. 1883), qui post paucas de ea re Hertzbergii quaestiones (qui eas omnino parvi aestimavit; cf. modo falsissimum illud iudicium Q. P. p. 162) altera dissertationis parte ea diligenter collegit, quae substantivorum declinationis et generis et verborum flexionis propria inveniuntur in poetae carminibus, altera parte, ubi de orthographia agitur, disseruit inde a pag. 72 de vocabulorum apud Propertium formis illa aetate vel obsoletis vel tamen a sermone urbano alienis. Utrumque autem tam accurate tractavit, ut nihil mihi restet, quam probare Heymanni iudicium, quod et multis locis perhibet et tota sua commentatione vindicat, extare apud Propertium permultas antiquioris sermonis reliquias nec deesse rusticae linguae vestigia. Ad illum igitur libellum lectorem delego, duas tantum voces additurus, quas tamen neglexisse in colligendo virum doctum, vix miror.

In primo enim capite (specimine D, pag. 28) inter eas voces, quas Propertius contra sermonis usum aliam declinationem sequi iussit, iuxta ‚serta' pro usitatiore ‚sertum' enumerandum esse puto:

‚pascua' pro usitato ‚pascuum' adhibitum:

V, 9, 20 ‚Nobile erit Romae pascua vestra forum'.

In quo versu omnes interpretes ‚pascua' pro nom. plur. neutr. acceperunt, nec defuerunt, qui ‚erunt' corrigendum esse censerent. Ferri tamen posse illud ‚erit' in Propertio, Lachmannus ad V, 1, 14 demonstravit nonnulis exemplis, quorum ad hunc locum optime quadrat:

III, 20, 48 ‚Una sit et cuivis femina multa mala'.

Miror autem, nemini adhuc in mentem venisse faciliorem illam huius loci interpretationem, qua ‚pascua' feminine accipiatur quamque non modo alia eius generis, quae Heymannus congessit, exempla commendant, sed etiam Tertullian. Apol. 22 probat, ubi ea vox feminine usurpata occurrit: ‚Quae illi accuratior pascua est, quam ut' eqs.

Deinde, quod in eadem serie suo quidem iure omisit vir doctus, quod autem mihi, omnia quae extant nova colligenti, non praetermittendum est, quamvis minoris sit momenti:

‚catula' femininam formam de usitato masculino ‚catulus' derivatam solus bonorum scriptorum servavit Propertius:

V, 3, 55 ‚Glaucidos et catulae vox est mihi grata querentis'.

‚catella' de ‚catellus' aliorum in usu fuit; ‚catula' iterum legimus apud Aurel. Vict. epit. 23, 6 et Eugen. Tolitan. carm. 22.

PARTICULA I.

De vocabulis a Propertio fictis.

De vocabulis fingendis hunc in modum iudicat Horatius a. p. 48 sq.:

‚Si forte necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget dabiturque licentia sumpta pudenter,
Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
Graeco fonte cadent parce detorta.' eqs.

Hanc igitur facultatem Propertius quoque sibi vindicavit nec non ‚pudenter' excoluit: non multa enim eius generis vocabula apud eum inveniuntur; eorum autem, quae procreavit, magna pars ad eum fontem revocanda sunt, quem Horatium indicare et commendare videmus, ad Graecorum imitationem. Quorum alia, mutatione facta nulla, in Latinum sermonem

recepit, alia ex illorum analogia ita formavit, ut Graecum exemplum aperte referant.

De plerisque autem, quae hoc capite enarranda sunt, iam egit Franc. Teufel eo libello, cuius supra fecimus mentionem. Sed praeterquam quod singulares modo, quas dicunt, voces enumeravit vir doctus, nihil fere, quo illa ἅπαξ εἰρημένα munirentur, addidit. Supervacaneum autem eum puto laborem, quo nomina propria et, quae ab eis derivata sunt, adiectiva apud unum Propertium obvia collegit: quae congesta neque ad elocutionem intellegendam quidquam proficiunt neque omnino valent ad poetae cognitionem, nisi cum fabulis ipsis simul tractantur. Attamen illud studium Teufelo condonarem, dummodo omnia diligentius collegisset et accuratius excussisset. Sed non modo desunt haud pauca, falsis etiam exemplis insertis lectorem fefellit: sic patronymicum ‚Nycteis' I, 4, 5 inter adiectiva singularia perhibet, quod et apud Ovidium met. 6, 110 et Statium Theb. 7, 190 et Hygin. fab. 7 et 155 legitur; ‚Lycotas' V, 3, 1 inter nom. propr. commemorat, quod etiam Ovid. met. 12, 350 habet; ‚Gygaeus' IV, 10, 18 denique adiectivum, quod ipse apud Plinium n. h. 5, 29 (30), 110 extare praedicat, cur inter singularia exhibeat, non intellego. Similiter etiam de aliis, quae enumerat, monendum erit; qua condicione cognita nemo amplius quaeret, curnam eandem materiam denuo tractandam ego mihi proposuerim.

Grammatico autem, ut solent de hisce rebus qui scripserunt, ordine progrediar, ac primum quidem proferam, quae habeo

substantiva.

‚adsessus' V, 11, 50:

> ‚Quaelibet austeras de me ferat urna tabellas:
> Turpior adsessu non erit ulla meo',

de quo Lachmannus ‚adsessu haud dubie verum est, etsi liber bonus agnoscat nullus, sed adsensus plerique'. ‚Adsessus' autem est actus adsidendi, ut ‚consessus' actum considendi significat; dixit igitur h. l. poeta: nulli feminae, quacum sedere mihi licebit, dedecori ero.

cantamen V, 4, 51:

> ‚O utinam magicae nossem cantamina Musae!'

Magica carmina Romani plerumque ‚carmina' solummodo adpellabant, sed et ‚cantio' speciatim illud genus significat apud Catonem r. r. 160; Cic. Brut. 60; al.; et ‚canticulum' teste Pompon. apud Non. 482, 9 [ubi Ribbeck. (Pomp. com. 118) ‚canticulam' legit]. Quam Propertius autem primus habet vocem, postea Apuleius recepit et crebro adhibuit: met. 2, 1 et 22; apol. 40; de mag. 43 et 84; postremo Prudent. contra Symmach. 2, 176 dixit ‚cantamen magicum'.

memorator IV, 1, 33:

‚Nec non ille tui casus memorator Homerus'.

Pulcre dictum est de Homero, qui memoriam heroum servat, quod vocabulum e verbo ‚memorare' epicum carmen proprie significante (cf. II, 1, 25; III, 1, 3; IV, 10, 69; 16, 39; V, 6, 77) derivatum a Propertio singulariter, ut ‚dilator' ab Horatio a. p. 172, ‚vulgator' ab Ovidio am. III, 7, 51; ‚memoratrix' habet Valer. Flacc. 6, 142 ‚eoae memoratrix tibia pugnae'. Ceterum substantiva verbalia in -or desinentia amavisse videtur Propertius, quamvis sermo Latinus omnino eis non nimis faveat; multa enim eorum habet, ut — vulgaria mittam — ‚cantor' III, 15, 19 pro vates, ‚ductor' V, 10, 9, raptor V, 9, 9, servator V, 6, 37; audacter porro ea adhibet:

III, 12, 3, ‚Nullus erit castis iuvenis corruptor in agris',
III, 4, 9, ‚Non ego sum formae tantum mirator honestae',
III, 27, 31, ‚Quo tu matutinus' ait ‚speculator amicae?'

Unum denique primus scriptorum testatur, nempe:

insitor V, 2, 17: ‚Insitor hic solvit pomosa vota corona'.

Tamen Servio (ad ge. 1, 21) teste scimus, a flamine Cereali ‚insitoris' nomine numen quoddam, quod insitioni praeerat, invocatum esse. Eadem vox iterum obvia est in Plin. n. h. 18, 33 (76), 329.

E Graecorum imitatione fluxerunt:

Adryas I, 20, 12 ‚Non minor Ausoniis est amor Adryasin'.

Quae nymphae, arborum deae, apud alios Romanorum scriptores nec non apud Propertium ipsum (ibid. v. 32; III. 30, 37; 32, 76) Hamadryades adpellantur. Hoc uno loco alteram Graecorum significationem Ἀδρυάδες ex eo, quod corruptum traditum est

codicibus, ‚adriacis', Struvius (progr. gymn. Regiomont. 1819, pag. 4) sagaciter erutum restituere proposuit. ‚et Dryasin' Heinsius, ‚ah! Dryasin' Scaligerus correxerunt, Lachmannus ‚Hydriasin' coniecit, postea autem Struvii emendationem recepit, cui patrocinantur Hertzbergius, Hauptius, L. Muellerus editores; unus Baehrensius Lachmanni coniecturam edidit.

Feminas illustres, heroum uxores et filias, ut significaret, duas Graecorum formas recepit Propertius:

heroine et **heroïs** (ἡρωΐνη et ἡρωΐς). Hac quidem post eum Ovidius et alii multi usi sunt, illam solus praebet:

II, 2, 9 ‚Qualis et Ischomache Lapithae genus heroine',

et plurali numero:

I, 13, 31 ‚Illa sit Inachiis et blandior heroinis',
I, 19, 19 ‚Illic formosae veniant chorus heroinae';

herois legitur:

III, 24, 29 ‚Et tibi Maeonias inter heroides omnes'.

baris IV, 10, 44 ‚Baridos et contis rostra Liburna sequi'.
Aegyptiaca vox, Graecis usitata (βᾶρις), navigium significat, quod contis propellitur, a poeta h. l. contemptim de bellicis Antonii et Cleopatrae navibus dicta ad inridendas Aegyptiorum opes, quae cum fortissima et invicta Romanorum classe concurrere ausae fuerint. Ceterum vid. intpp. ad Her. II, 41, 96 et Diod. I, 92 et, qui egregie de eo vocabulo egit, Buechelerum Rh. M. XLII pag. 583 sq.

Sequuntur nova **adiectiva** atque primum tria, quae de verbis derivata nobis occurrunt:

revolubilis V, 7, 51:

‚Iuro ego Fatorum nulli revolubile carmen'.

A Propertio profectam, deinde ab Ovidio receptam, tum communi usu conprobatam esse hanc vocem, recte Hertzbergius explicasse in comm. ad h. l. mihi videtur. Invenitur autem deinde apud

Ov. Ib. 193 ‚Sisyphe, cui tradas revolubile pondus, habebis:'

tum apud Sil. 12, 473 de Orpheo:

‚Acheronta sonantem
Placavit plectro et fixit revolubile saxum',

apud eundem 15, 237 ‚Pelagi revolubilis unda', postremo apud Auson. ecl. de nominib. sept. dier. 12: ‚revolubilis orbita'. Hertzbergio autem adsentiendum esse censeo, quod Ovidium saepissime accipere videmus nova Propertii dicta, Silium imitari Ovidium locis conparatis elucet, Ausonium denique in eorum numero saepius deprehendimus, quos e Propertio nonnulla hausisse, verisimile est.

‚ardidus', quod in codicibus F N legitur:

II, 3, 24 ‚Ardidus argutum sternuit omen Amor'.

D V habent ‚aridus'; ‚aureus' iam acceperant ab Heinsio editores. Sed cum Macrobius (gr. l. Keil. V, 626, 15) eundem versum laudaret hisce verbis:

‚Candidus augustae sternuit omen Amor',

Lachmannus hac scriptura conprobata ‚candidus' recepit, ‚augustae' quidem praetulit, sed recipere non ausus est, ‚cum alterum non ineptam interpretationem admittat'. Cum Lachmanno fecerunt postea omnes editores praeter Hertzbergium. Macrobii autem memoriam — unum sine dubio huius loci adlati fontem — non tanti faciendum esse, Hertzbergius et cum eo Carolus Peiper (Quaestt. Propp. progr. gymn. Creuzburg. 1879) recte ex illo ‚augustae' indicasse mihi videntur. Quod praetulisse Lachmannum, valde miror, cum tamen ‚argutus' et adiectivum sit Propertio amatissimum (vide infra p. 59 sq.) et hoc loco sensum praebeat non modo non ineptum, immo aptissimum. Attamen Peiperi commento ‚artibus' ex altera codicum scriptura ‚aridus' elaborato et coniungendo cum ‚argutum' male vindicato quemquam adsentiri vix credam. Sed sanum esse plane hunc locum contendo: Primum enim in ‚candidus' quomodo ‚ardidus', vox singularis ac nova, in grammatici memoria mutata sit, facile intellegitur, e vulgari autem ‚candidus' cur ignotum plane ‚ardidus' apographarum lapsu fieri potuerit, non video causam. Deinde attributum ‚ardidus' omnino optimum et aptissimum est de Amore deo, cuius facta quoties et quam variis dictis diserte Propertius cum igni et incendio conparet, saepissime infra videbimus; cf. modo pag. 34 sq., 71 sq.

Tum quod Teufelus (l. l. pag. 55 sq.) et post eum Peiperus hoc loco Amori illud epitheton minime convenire aiunt, — quid-

nam aliud sunt atque amoris ignes, quos cantat Cynthia illis carminibus, quae Corinnae scripta aequare, Erinnes superare gloriatur docta puella? Porro saltationem et lyram, quas laudat in Cynthia antecedentibus versibus poeta: ubinam Propertius commemorat nisi in re amatoria? Peipero autem quaerenti ‚Quidnam, quaeso, rei est Amori ardido cum nascente puella?' nihil respondeo nisi ‚Quodsi non ardido, quidnam Amori omnino?'

Analogiam denique novi adiectivi iure exemplis firmat Hertzbergius, quod studium ridere non debuit Teufelus; illud potius curare debuit, ne ipsum, qui tamen de vocibus singularibus Propertii egit, fugeret, extare inter ea, quae ipse enumerat, alterum eiusdem analogiae ἅπαξ εἰρημένον, nempe:

roridus III, 28, 26 ‚Rorida muscosis antra tenere iugis',
V, 4, 48 ‚Tu cave spinosi rorida terga iugi.'

Vulgatum ‚roscidus' exhibetur codicibus:

I, 20, 36 ‚Roscida desertis poma sub arboribus'.

En habes, quod supra dixi, probatum: roscidus I, 20, 36 a nemine in ‚roridus' mutatur, ‚roridus' autem, quod habet primus Propertius et post eum solus Apuleius, fortasse ex illo haustum: met. IV, 17 ‚specus roridos', certatim vexant; ne dicam de Apulei loco, ubi ‚torsidos, torridos' al. correxerunt, in Propertii versibus non modo Itali ‚roscidus' emendaverunt, sed ipse Hertzbergius ad III, 28, 26 ‚Rorida', inquit ‚quod in quibusdam libris, non malis sane, invenitur, in ordinem cum Lachmanno recipere, donec Latinum esse certioribus auctoritatibus probaretur, dubitavi'. Attamen V, 4, 48 ‚rorida' in textu praebet, in commentario tacet; qua eadem inconstantia mira sequitur eum L. Muellerus. Sed rectissime Lachmannus rem diiudicat ad III, 28, 26: ‚Lege ‚rorida' omnium fere codicum auctoritate, cui neque hic repugnare velim neque supra I, 20, 36, ubi ‚roscida' tuentur'; neque ego dubito, quin eodem modo, ut hic ‚roridus' a ‚rorare', sic quoque ‚ardidus' ab ‚ardere' a Propertio formatum sit.

Ut igitur Propertius in hoc adiectivo fingendo, cum duae essent viae, altera a substantivo, altera a verbo derivandi, rariorem vel potius inusitatam usitatae praetulit, ita in adiectivis a substantivis formandis, quando conplures admittuntur rationes,

haud raro communem ac notam rariori posthabuit. Quod autem in eis maxime evenit, quae alteram breviorem, alteram longiorem formationis viam praebebant, ita ut breviorem semper fere eligeret Propertius. Qua de causa illud factum sit a poeta, nihil certi adfirmaverim; tamen metri necessitati eum obsecutum esse, et propter magnam eiusmodi vocum copiam et ea de causa negaverim, quod praecipue adiectivorum a nomin. propr. derivatorum breviores invenimus formas. Ex his quoque aliquam expecto explicationem: Nam cum breviores eorum adiectivorum formas et principales et antiquiores esse constet, vix dubitem quin antiquitatis amore, cui, quantopere morem gesserit poeta, saepissime videmus, eas praetulerit. Alterum quoque accedit: Ut in re syntactica (de qua partic. III. agetur) tot locutiones conpendio loquendi novae pronuntiatae nobis conferendae erunt, sic quoque brevitatis studium cum antiquitatis amore puto et in hac re fuisse causas.

Adiectivorum a nomin. propr. brevi forma ductorum e communi sermonis consuetudine recepit: ‚Actius' (III, 32, 61; 8, 38; V, 6, 17; 67) pro ‚Actiacus' (quod semel habet III, 7, 44); ‚Aemilius' (IV, 2, 8) pro ‚Aemilianus'; ‚Horatius' (IV, 2, 7) pro ‚Horatianus'; ‚Ilius' (IV, 12, 61) pro ‚Iliacus'; ‚Pompeius' (IV, 10, 68) pro ‚Pompeianus'; ‚Punicus' (IV, 2, 32) pro ‚Puniceus'; ‚Romulus' (IV, 10, 52; V, 4, 26;) pro ‚Romuleus'; ‚Theseus' (IV, 21, 24) pro ‚Theseius'. Solus autem praebuit:

Baius de ‚Baiae' Campaniae oppidi nomine fictum:

I, 11, 30 ‚A pereant Baiae, crimen amoris, aquae!'

quod adiectivum apud alios omnibus locis longiore forma ‚Baianus' legitur.

Tatius adiectivum a ‚Tatius' Sabinorum regis nomine:

V, 4, 31: ‚Ignes castrorum et Tatiae praetoria turmae',

cuius longiorem formam Festus s. v. Tatius tradidit ‚Tatiani latrones'.

Maiore etiam audacia dictum est:

Curius IV, 2, 7: ‚Et cecini Curios fratres et Horatia pila'.

Sed Curiatios fratres notissimos decurtato hoc nomine adpellare non ausum esse Propertium credo sine exemplo. Vulgarem po-

tius sermonem eam formam sibi finxisse, Propertium autem solum scriptorum eam recepisse putaverim. Tertiam quoque eiusdem denominativi formam esse censuerunt, quod traditum est Mart. V, 28, 3 ‚Pietate fratres Curtios licet vincas'. Sed cum in eo epigrammate non nisi de aequalibus Martialis sermo sit, etiam eo nomine nihil aliud latere, nunc constat, et accepta est emendatio ‚Curvios' de qua vid. Friedlaenderum ad h. l.

Etiam Graecorum nominum adiectiva breviore forma occurrunt:

Athamanus V, 6, 15 adiectivum de Epiroticae regionis nomine, quod Strabo 9, 435, 444 ‚Ἀθαμάνια', Liv. XXVI, 14, 7 ‚Athamania' tradidit; incolae ‚Athamanes' (gr. Ἀθαμᾶνες) saepius vocantur.

Ceraunus III, 8, 3 ‚saxo—Cerauno' pro ‚Ceraunius', quam ipse quoque habet I, 8, 19 formam et a Graecis et a Romanis unice passim adhibitam (Κεραύνια ὄρη, Ceraunii montes).

Phaeacus IV, 1, 51 ‚Phaeacas — silvas' pro ‚Phaeacius', quod habet cum Tibullo (I, 3, 3) Ovidius (am. III, 9, 47: ‚Phaeacia tellus').

Addi potest:

Naicus III, 30, 40: ‚Supposita excipiens N a i c a dona manu'. Scaliger corrigendum esse putavit ‚Nai caduca', Ungerus ‚Nanica'. At ‚cur illud adiectivum, quod si unus tuetur, analogia certe non aspernatur, reiciamus?' recte interrogat Lachmannus. Est autem adiectivum adpellativi nominis ‚Naias' sive ‚Naïs' (gr. Ναϊάς sive Ναΐς), cuius graeca forma Ναϊακὸς invenitur Anthol. X, 21, 8.

Sequuntur nunc adiectiva eodem modo brevi de substantivis formata et, quoniam in Graecis vel in Graeco-Romanis versamur, in eodem genere pergamus:

carbasus dixit V, 3, 64, ‚carbasa lina' i. e. quae ex carbaso (cf. V, 11, 54 — ἡ κάρπασος), lini tenuissimo genere, sunt facta; cuius adiectivi et Graecis et Latinis usitati, a Graecis ‚καρπάσινος' et ‚καρπάσιος', a Romanis ‚carbaseus' (Cic., Verg., Tib., Stat.), ‚carbasinus' (Plin., Apul., Mart. Cap.), ‚carbasineus' (Varro ap. Non.) traduntur formae; brevem illam solus Propertius exhibet.

thyius IV, 6, 49: ‚Sed thyio thalamo aut Oricia terebintho'. ‚chio' omnium codicum scripturam vitiosam permutato ‚th' et ‚ch', quod saepissime fit, ortam esse, iam ab Italis intellectum est, qui ‚thyiae' scripserunt; Santenius verissime ‚thyio' correxit. Est autem ‚thyius' adiectivum a graeco ‚θύα' vel ‚θύον', arboris bene olentis nomine, citro, cuius altera forma ‚θύϊνος' (thyinus vulg. Io. apoc. 18, 12) usitatior apud Graecos fuisse videtur; tamen etiam ‚θύϊος' Scaligeri vera coniectura pro codicum τύϊος in Theophr. hist. pl. 5, 3 legitur: ὕλη Μακεδονικὴ ἔχουσα θύϊον (sc. δένδρον). Porro:

feminus dixit pro ‚femineus':

III, 29, 4 ‚Inter quas Danai femina turba senis.'

Ad quem locum conparari non licere puto eos, ubi animalia, ut ‚femina anguis' (Cic. div. II, 29), ‚femina piscis' (Plin. IX, 50, 74; Ov. a. a. II, 482), aut ‚gemmae' (Plin. XXXVII, 7 (25), 92; Vitr. 9, 9 med.) ‚feminae' significantur.

fluvius denique legitur in codicibus:

II, 9, 11 ‚Et dominum lavit maerens captiva cruentum,
Adpositum fluviis in Simoenta vadis'.

In quo adiectivo pro ‚fluvialis' (ut ‚pluvius' pro ‚pluvialis') posito haeserunt iam Itali ‚fulvis' corrigentes, Heinsii autem coniecturam ‚flavis' ut causis palaeographicis et usu veterum in adhibendo hoc de fluminibus epitheto vindicatam arripuerunt postea omnes praeter Jacobum et Hertzbergium, quorum hic ad analogiam tantum aliorum singularium provocando satisfacere sibi videtur. Sed aptissimum etiam sensum praebet illud ‚fluvius', dummodo ‚fluviis vadis' cum verbo ‚lavit' coniungas neque cum nonnullis interpretibus facias, qui hosce ablativos nomini ‚Simoenta' addendos esse censuerunt. Ista quidem constructione verborum illud adiectivum ‚fluviis' superfluum ideoque ineptum fieri non nego. Sed eam constructionem accipere minime opus est, nec quia Propertius eam amat, omnibus locis eadem obtrudi debet; duplex praeterea praesto est iunctura: cum ‚Simoenta' iungamus ‚fluviis vadis', sed pro adpositione, dativo casu, et ‚fluvius' optime stare concedes. Sed simpliciter si verba congruere sinis eo ordine verborum, quem ab initio dedi, bene omnia se habent: Lavit Briseis aqua (‚vada' hac notione apud poetas saepissime

occurrere, nemo nescit) fluviali Achillis corpus Simoenti adpositum.

Iam ea, quae brevioris formae inde a voce ‚carbasus' tractavimus, adiectiva a substantivis derivata sunt. Eiusdem generis alteram speciem in medium proferamus, nempe ea, quae adiungendo ‚— osus' fingere solent de substantivis, ut abundantia alicuius rei significetur. Quae facillima adiectivorum formatio epici praesertim carminis propria est, ubi describendi saepissime datur facultas; neque alius Propertianus eorum est usus. Nam cum in ceteris quattuor libris undecim solummodo eius generis deprehendas, in solo quinto libro unum et viginti occurrunt. In quo numero singularia et nova sunt haec:

Solus Propertius habet:

hederosus V, 4, 3 ‚Lucus erat felix hederoso conditus antro', h. e. antro hedera ditissimo.

Primus deinde finxisse videtur:

paludosus V, 6, 77 ‚Ille paludosos memoret servire Sycambros'; postea eandem vocem conposuerunt: Ov. met. 15, 268, Stat. silv. III, 2, 108; Sil. 8, 602.

pecorosus V, 9, 3 ‚Venit ad eductos pecorosa Palatia montes'. Unus praeterea idem adhibet Statius Theb. 4, 45 ‚pecorosaque Phyllus' et ibid. 10, 227 ‚pecoroso vere'.

plumosus V, 2, 34 ‚Faunus plumoso sum deus aucupio', h. e. ‚plumis abundante'. Translato sensu de foliis idem adiectivum usurpat Plin. n. h. XXV, 6, (29), 65 et XXVII, 8, (37), 59 ‚plumosa folia', fibris quasi plumis tecta.

Novo quoque modo deductum esse a poeta:

animosus IV, 8, 9 ‚Gloria Lysippost animosa effingere signa' non, ut solent, a substantivo ‚animus', ut esset fortis (quale idem legimus V, 1, 85), sed ab ‚anima', ut vitae plenum significaret, recte Hertzbergius observavit. Ab eadem voce derivasse idem adiectivum Vergilium ge. 2, 441, Ovidium am. I, 6, 51; met. 6, 134 idem docuit. Uterque autem de ‚anima', voce pro vento posita derivavit, ubi Graeci ‚ἀνεμόεις' usurpant. Hoc autem loco de vitae spiritu cogitavit poeta, ita ut ‚animosus' idem sonet ac Graecis ἔμψυχος, quomodo Verg. ge. 3, 34 ‚spirantia aera', Propertius ipse ‚vivida signa' III, 29, 8 dixerunt.

Tertiae speciei adiectiva denominativa apud primum Propertium inveniuntur duo haec:

stamineus propria significatione ‚e staminibus constans, filis plenus' a solo Propertio adhibetur:

IV, 5, 26 ‚Staminea rhombi ducitur ille rota.'

q. e. ‚rhombus licio inplicitus et rotatus'. Iterum unus Plinius, sed a similitudine, eadem voce usus ligni venas instar extensi staminis significat n. h. XVI, 43 (83), 226: ‚Stamineam in hoc usu probant venam et vocant feruleam'.

stramineus III, 8, 20:

‚Atque utinam Romae nemo esset dives et ipse
Straminea posset dux habitare casa!'

‚casae stramentis tectae' Caes. b. g. 5, 41 dixit. Idem adiectivum exhibet Ov. am. II, 9, 18:

‚Roma, nisi immensum vires promosset in orbem,
Stramineis esset nunc quoque densa casis.'

Quamvis autem in argumento non absimili Ovidius illud adiectivum usurpet, tamen ne credam, idem a Propertio formatum, ab Ovidio acceptum esse, alter Ovidianus locus me prohibet fast. 5, 631 ‚Illum stramineos in aquam misisse Quirites'. Quo enim versu in opinionem adducor, ea significatione ‚straminei homines' vel ipsa illa, quam dedit Ovidius ‚straminei Quirites' vulgo vocatas esse illas hominum figuras stramento exstructas, quae quotannis in Tiberim deiciebantur; casu igitur illud adiectivum a primo Propertio servatum esse, verisimile est.

Non multo certius quidquam adfirmaverim de eis, quae nunc sequuntur. De adiectivis enim iam disserturus sum, quae duarum vocum conpositione formata sunt, atque primum de eis, quae adfixis ‚-fer' et ‚-ger' a substantivis orta sunt.

anguifer II, 2, 8 ‚Gorgonis anguiferae pectus operta comis', ut Ovid. trist. IV, 7, 12 ‚Gorgonis anguineis cincta fuisse comis'.

Eadem vox adpellativum nomen fuisse videtur eius sideris, quod Graeci ‚'Οφιοῦχον' adpellabant, teste Colum. 11, 2. Praeter quem nemo alius bonorum scriptorum eam servavit; infimae tantum Latinitatis eam iterum adfert poeta, Prudentius in carmine, quod inscripsit ‚Ἀμαρτιγένεια', ubi 131 legitur ‚anguiferum caput'.

gemmifer IV, 3, 2 ‚Et freta gemmiferi findere classe maris' i. e. maris Erythrei, in quo ‚legitur rubris gemma sub aequoribus' (I, 14, 12); eodem sensu Plin. n. h. XXXVII, 13 (76), 200 ‚Gemmiferi amnes sunt Acesinus et Ganges'. Praeterea Val. Flacc. 5, 448 ‚gemmifera corona' dixit, q. e. gemmis insitis. De Corippo (Ioannid. 3, 325), Venant. (Vit. S. Martin. 1, 138) taceam.

odorifer III, 5, 7 ‚Desit odoriferis ordo mihi lancibus. . .', q. e. odore plenae, odoratae. Idem de floribus usurpat Sil. 16, 310. Praeterea Ov. met. 4, 209 de Persis, qui odoras arbores colant, eadem voce utitur et Plin. n. h. V, 11 (12), 65 de Arabia odoribus nota, quomodo Prop. IV, 12, 8 ‚et multi pastor odoris Arabs'.

palmifer V, 5, 25 ‚Seu quae palmiferae mittunt venalia Thebae', eodem sensu dictum, quo Plinio l. l. ‚odorifera Arabia', Ov. am. II, 13, 8 ‚palmiferamque Pharon'; Sil. III, 608 ‚palmiferae Idune'. Translato sensu de victoris palma Anthol. Lat. II, 597 ‚palmiferis — quadrigis' et Victor. Vit. pers. Vand. 3, 24. — ‚palmiger' habet Plin. n. h. 35, 4 (10), 27. Invicem ‚laurifer' Plin. n. h. XV, 30, (40), 134, Lucan. 5, 332 et 8, 25 nobis traditum est,

lauriger primus Propertius testatur:

IV, 12, 53 ‚At mons laurigero concussus vertice. . .',

q. e. lauro insitus. Ea quidem significatione hoc solo loco deprehendi, ‚lauro, victoriae insigni, ornatus' translato sensu idem adiectivum adhibet Propertius:

V, 6, 54 ‚Ducam laurigera Iulia rostra manu'.

Qua sententia saepius occurrit ea vox: Ov. a. a. 3, 389, Mart. X, 10, 1; VII, 6, 6; Sil. 5, 412.

Haec igitur, quae enumeravi, primus nobis Propertius testatur; quamvis autem non credam, primum ea formasse Propertium, ceteros illum imitatos esse, haud minus negaverim, ex sua ipsius animi vi ea conposuisse poetam; neque quemquam omnino nunc eam rem discernere posse ob perdita scripta plurima, constat. Sed cum de eis, quae habemus, nobis iudicandum sit, haece mihi videtur verisimilis saltem explicatio, adiectiva conposita non, ut in aliis fit, a prioribus vel e sermone sumpsisse

auctores, sed quovis loco eis egebant, omnino denuo conposuisse (quod quam facile factum sit, Christianorum poetarum in eis, atque quidem rarioribus, ut vidimus, adhibendis studium indicat). Quae sententia primum mihi conprobari videtur eo, quod ad idem significandum modo ‚-ger', modo ‚-fer' addebant; cf. modo, ut de praesentibus sumam exemplum, quae dixi in ‚palmifer' et ‚lauriger'. Deinde autem additis ‚-fer' aut ‚-ger' hic secum habendi, ille edendi et procreandi notionem subdidit: et in eis, quae enumeravi, illud discrimen saepius observavimus et singulari ac certo exemplo Propertius ipse idem vindicat, illo nempe adiectivo

mortifer, quod legimus:

IV, 12, 17 ‚Namque ubi mortifero iactast fax ultima lecto'.

Nemo enim ceterorum scriptorum usquam de alio ullo eam vocem adhibuit quam de eo, quod mortem adfert, de causa mortis. Concedamus etiam, lectum poetice dici posse mortiferum, cum in eo mors homine potiatur; sed de alio plane lecto h. l. agitur, de lecto funebri, qui busto inponitur. Hic igitur poeta nihil aliud sonare voluit illud ‚mortifer' nisi ‚mortuum sustinens', et conprobatur ea sententia persimili loco e proprio usu Propertiano pronuntiato:

III, 5, 6 ‚Nec sit in Attalico mors mea nixa toro',

ubi ‚mors mea' pro ‚ego mortuus' dictum esse, s. l. videbimus.

Vides igitur etiam in hisce, quae primo quidem adspectu vulgaria esse videntur, dummodo accuratius inspexeris, nova esse, quae poetae ingenio debentur; neque inutilia sunt, quamvis incerta, ea, quae h. l. congessi et tractavi, ad Propertiani loquendi genus et copiam agnoscendam et cognoscendam.

Duo addenda sunt adiectiva conposita. Ut enim solus Catullus ‚fluentisonus' (cf. Teufel l. l. p. 28), ita Propertius primus adhibuit:

undisonus IV, 21, 18:

‚Cogar et undisonos nunc prece adire deos',

proprio insuper usu, quod deos undisonos adpellat ad imitationem certe Graecorum (cf. Burm. de h. l.), quibus Neptunus (Orph. hymn. 17, 4.) ‚ἀλίδουπε' invocatur. Post Propertium idem adiectivum conposuerunt:

Val. Flacc. 1, 364 ‚Qui tenet undisonam Psamathen',
4, 44 ‚undisoni' crepidine saxi'
et Stat. Achill. 1, 198 ‚Undisonae rupes'.

Primus quoque vertisse videtur Graecorum ‚ὀκταπόδης' (καρκίνος Nicand. Ther. 605) in:

octipes V, 1, 150 ‚Octipedis Cancri terga sinistra time';

postea Ov. fast. 1, 313:

‚Octipedis frustra quaeruntur bracchia Cancri',

postremo Auson. ecl. 3, 3:

‚Octipedem in Cancrem Phryxeo ab Ariete pergens'.

Restat, ut de eis adiectivis disseram, quae participii passivi forma et sensu a substantivis derivata sunt nova apud Propertium; sic de ‚armilla' formavit:

armillatus V, 8, 24 ‚Atque armillatos colla Molossa canes',

q. e. canes armillis dominae Cynthiae ornatos. Eadem voce utitur Suet. Ner. 30 ‚armillata turba'; Callig. 52 ‚manuleatus et armillatus'.

Porro de ‚mitra':

mitratus V, 7, 62 ‚Mitratisque sonant Lydia plectra choris'

‚quorum capita mitra cingit' (cf. Prop. V, 2, 31). Idem postea praestiterunt: Plin. n. h. VI, 28 (32), 162, eiusque epitomator Solin. 33, 16 et Sidon. carm. IX, 2, 199 (204).

Sed, ut ab adiectivis ad

Verba

transeamus: inter utrumque genus quae versantur, participia perf. pass. praefixa negatione ‚in' ficta commemorem prima. De cuius particulae in vocibus ab Horatio singulariter prolatis frequentia videas Zangemeisterum l. l. inde a pag. 14 med. Propertii autem habeo haec:

inpressus. Quae vox a verbo ‚inprimere' derivata saepissime legitur cum apud alios tum apud Propertium:

I, 3, 12 ‚Molliter inpresso conor adire toro;'
I, 16, 42 ‚Osculaque inpressis nixa dedi gradibus.'
IV, 5, 17 ‚Umidaque inpressa siccabat lumina lana',

nec deerant, qui idem significare putarent eam vocem:

III, 32, 70 ‚Missus et inpressis haedus ab uberibus'.

Sed recte Scaliger: ‚inpressa', inquit, ‚ubera, non mulcta, ii enim pinguiores, quorum matres non mulgentur.' Postea Statius, sed in alia causa, idem conformavit:
Theb. 5, 404:

‚At levis et miserae nondum mihi notus Iason
Transtra per et remos, inpressaque terga virorum' eqs.

i. e. quae non premit per transtra currens Iason pedibus suis.
Eodem modo conpositum esse:

inmorsus IV, 7, 21:

‚Inmorso aequales videant mea vulnera collo:'

Hertzbergius censet interpretatus ‚aequales non morsi collo ipsi videant me vulneratum'. Sed, credo, iniuria. Nam quod ἀντίθετον perire ait, si ab ‚inmordeo' vocem accipiamus, et adiectum ‚vulnera' otiosum fieri, nimis argutatur neque ἀντίθετον, quod desiderat, Propertio unquam in mente fuit, quem tam odiosum fuisse, ut aequales omnino hostes putaverit, Hertzbergium explicare miramur: ‚Rivalibus igitur ut lenta puella eveniat, optat, sibi ut fervida'; ‚aequales' scilicet cum ‚hostibus' antecedentis versus false permutavit vir doctus. ‚Inmorsus' igitur, quod ceterum ex Italorum correctura coniunctum praebent editores, ab ‚inmordeo' formatum intellegas, nisi cum Baehrensio codicum scripturam ‚In morso' restituere mavis. Contra:

inustus V, 11, 74:

‚Nunc tibi commendo communia pignora natos:
Haec cura et cineri spirat inusta meo.'

ab ‚inurere' derivatum esse, minime feliciter defendit idem Hertzbergius cum Broukhusio, quem exemplis e Cicerone praesertim congestis nihil effecisse, omnes adhuc viros doctos effugit: tacentes enim adsentiri videntur. Nam, ut praestantissimum eligam exemplum, Cic. Verr. 1, 44 ‚Cur hunc dolorem cineri eius atque ossibus inussisti?' praecedentibus verbis simplicem habet explicationem ‚cur tantam iniuriam Annio mortuo fecisti?' Quod si ex his verbis Propertiano versui interpretationem quaeris, poeta dicit: ‚Mihi mortuo inusta est cura, i. e. postquam

mortuus sum, tum demum ea cura spirare coepit', quasi non antea curasset liberos Cornelia! At hoc ineptum. Praeterea neglegere non debemus illud ‚et': ‚Etiam in cinerem versae mihi spirat illa cura' ait Cornelia — quid tum aliud sonabit ‚inusta', cum de cinere antea dictum sit, nisi ‚non usta, non simul cum corpore in cinerem versa'? Nihil quidem mihi apertius videtur. Dubitant quoque Lucani interpretes in versu 8, 787

‚Semiusta rapit, resolutaque nondum
Ossa satis nervis, et inustis plena medullis
Aequorea restinguit aqua, congestaque in unum
Parva clausit humo',

utrum hic ‚inustus' pro ‚non ustus' an pro ‚adustus' positum sit; nam semiusti hominis in ossibus, nervis nondum satis resolutis, medulla inesse possunt et adusta et nondum usta; idemque discrimen est in interpretando versu 9, 852.

Verborum denique, quae nova occurrunt, unum quoque eiusdem est generis atque illa participia, nempe:

recondere III, 30, 16:

‚Tot leviter lymphis tota crepitantibus urbe
Cum subito Triton ore recondit aquam.'

Erant, qui ex usitata verbi ‚recondere' conpositione et notione ita versuum sententiam explicarent, ut Tritonis statua artificiose facta modo promeret, modo vero absorberet aquas. Melius autem Scaliger videtur rem intellexisse, qui notavit: ‚recondit, contrarium τῷ condit, promit'; undam scilicet per tubos subterraneos levi crepitu fluentem Triton intus excipit et subito ore effundit. ‚Recondere' igitur est ‚emittere', quo plane modo ‚recludere, retegere, recingere' dicitur, in quibus verbis addita syllaba ‚re' negatio exprimitur: singulariter quidem hoc uno loco, ut apud solum Catullum 63, 84 ‚religare iuga' pro ‚solvere' positum est.

Verborum deinde, quae nova codicibus exhibentur, duo apographarum errore orta sunt:

eviolare, quod mss. praebent

I, 7, 16 ‚Te quoque si certo puer hic concusserit arcu,
Quo nolim nostros eviolasse deos',

‚evoluisse' vel ‚te violasse' iam Itali, ‚quam nolis nostros heu

violasse' Heinsius, ‚Quod nolis nostros evoluisse' Lachmannus, ‚Quod noli nostros heu violasse' Keilius, ‚Quo nolim nostros te violasse' Muellerus, Baehrensius denique ‚Conatum nostros en violasse' coniecerunt. Inter quas Muelleri emendatio propter facilitatem coniecturae et elocutionem, quam praebet, vere Propertianam maxime mihi placet. Nec sensus distichi ea correctura effectus non quadrat et ad universam elegiam et ad Ponticum amicum, cui, quamquam timet (cf. el. I, 9), tamen non optat amoris cruciatus poeta. Attamen me haerere non diffiteor in eo, quod in eadem sententia primum de unius dei, Amoris scilicet, arcu agitur, qui tamen idem deinde conpluribus deis tribuitur. Infelicissima suis partibus est ipsius Muelleri interpretatio ‚Nostri autem dei sunt Amor et Venus, ut alibi apud Propertium'. Quid enim Veneri cum arcu? Immo de Cupidinibus, si ita scripsit, cogitavit h. l. poeta, quos II, 9, 38 iubet:

‚Tela, precor, pueri, promite acuta magis.'

Qui idem locus magnopere commendat illam emendationem, quique plane eius veritatem vindicaret, nisi artissima vocum ‚puer' et ‚deos' coniunctio quidquam dubii retineret.

intepere, quod traditum est

V, 1, 124 ‚Et lacus aestivis intepet Umber aquis'.

Quod verbum, etiam Stat. Theb. 2, 376 traditum, minime Latinum esse, Lachmannus ad Lucr. 2, 301 optime exposuit; sensu quoque carere hoc loco contra Henr. Nissenii (Mus. Rhen. XX, 219 sq.) explicationem bene observavit Luc. Muellerus, qui facillime et verisimillime coniecit ‚si tepet', quod praefero Baehrensii commento ‚ut tepet'; optimum enim sensum mihi videntur praebere versus, si Muellerum sequaris:

‚Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo
Et lacus aestivis si tepet Umber aquis.'

Sine dubio autem Propertiana sunt haec, quorum primus tradidit:

incinere III, 15, 6 ‚. . . seu varios incinit ore modos!'

Quod verbum praeter Propertium nemo nisi multo postea Gellius habet I, 11, 12 ‚numeros et modos et frequentamenta

quaedam varia tibicen incineret'; IV, 13, 1 ‚Si modulis lenibus tibicen incinat minui dolores'. Nec diiudicari poterit, utrum uterque idem verbum conposuerit an hauserint terminum technicum e tibicinum arte. Hoc quidem de Gellio, scriptore, eo magis credam, quia etiam ‚incentio' vox de eadem re ibid. IV, 13, 3; XVI, 11, 2 reperitur, de Propertio autem, poeta, nihil certius adfirmaverim.

Solus Propertius habet:

sevehi IV, 2, 21 ‚Cur tua praescripto sevectast pagina gyro?'

Hoc uno loco cum inveniretur ea vox, Scaligeri coniecturam ‚praescriptos evecta — gyros' omnes probaverunt. Lachmannus autem veram codicum scripturam iure reposuit; nam ad analogiam et formatum et dictum est verbi, quod III, 20, 5 legimus, ‚secubare'.

Duabus cum praepositionibus conpositum unum habet singulare:

superobruo V, 4, 91:

‚Dixit, et ingestis comitum superobruit armis.'

Eodem modo formatum unus praebet Catullus 64, 286 ‚superinpendeo'; ‚superingero' Tibullus IV, 1, 157, ‚superinpono' Ovidius met. 9, 100 primi conposuerunt. De quibus cf. Draegerum (Histor. Syntax d. lat. Spr. I, 139). Alterum eiusdem generis perhibet Propertius exemplum:

III, 5, 17 ‚Et sit in exiguo laurus superaddita busto',

aperta cum Vergilio necessitate, qui cum solus praeter Propertium ecl. 3, 38, tum in persimili argumento ecl. 5, 42 praestitit:

‚Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen.'

Eadem necessitas inter Ovid. met. 4, 757:

‚. . . . . taedas Hymenaeus Amorque
Praecutiunt'

et Propertii IV, 15, 16, qui versus codicum testimonio legitur:

‚Ipse Amor accensas percutit ante faces'

statuenda esset, si cum Guyeto ‚praecutit' corrigere vellemus. Quod quoque fecerunt omnes ante Iacobum, qui traditam scri-

pturam sinceram vindicavit adsensu omnium criticorum. Non a Propertio igitur primo, sed ab Ovidio solo ea vox profecta est.

Haec habui proferenda de verborum copia a Propertio aucta. Sed antequam ad alia transeam, nomina propria, quae solus Propertius, plerumque ex imitatione Graecorum commemorat, congesta proponam. Minimi quidem me illud studium aestimare, cum nihil ad poetae sermonis adferret cognitionem, ineunte iam hoc capite professus sum; sed, ne quid desideretur neve non, quae Teufelus peccasse mihi videtur, expediantur, brevissime ea quoque enumerabo.

Exhibentur autem a solo Romanorum Propertio:

Argynnus, puer ab Agamemnone amatus IV, 6, 22 — Hilaira I, 2, 16, Lampetie IV, 11, 29 30, Pero II, 4, 9, heroides — deinde ancillarum nomina: Amycle V, 5, 35, Parthenie V, 7, 74, Petale V, 7, 43 — tum Bithyniae fons, Pege I, 20, 33: atque haec conprobata etiam nobis Graecorum exemplis. Quae vero nobis desunt in hisce: Horops V, 1, 77, Cytaine I, 1, 24, Dorozantes V, 5, 21, Ischomache II, 2, 9, Lycinna IV, 14, 6, Teuthras I, 11, 11; Oromedon IV, 8, 48. — Graecorum more formata solus habet: Cures V, 4, 8 pro Quiris; Lygmon V, 1, 29 pro Lucumo.

Adiectiva de nominibus propr. derivata solus praebet:

Amphiareus III, 32, 39; Bellerophonteus IV, 2, 2; Cepheus V, 6, 78; Hylleus I, 8, 26; Menandreus II, 6, 3; Oronteus I, 2, 3; Perimedeus II, 4, 18; Theodomanteus I, 20, 6. — alia atque usitata forma (praeter ea, quae inde a pag. 13 tractavi): Menelaeus III, 7, 14; Daedalius III, 6, 8. — Alcmaeonius IV, 4, 41; Autarius I, 8, 25. — Bassaricus IV, 16, 30; Neuricus V, 3, 8. — Hylaeus I, 1, 13; Philetaeus IV, 2, 52; V, 6, 3 — Androgeon II, 1, 62 — Arganthus I, 20, 33 — Dulichia III, 6, 4 — Iasis I, 1, 10; Cythaeis II, 4, 17; Strymonis V, 4, 72; Borysthenidae II, 7, 18; Nilotes V, 8, 39 — Thynias I, 20, 34 — Latris V, 7, 75; Glaucis V, 3, 55.

PARTICULA II.

De vocum notionibus apud Propertium novis.

Inter scriptores praecipue poetarum est, vocabulorum usum novis notionibus subditis augere et locupletare, cum et insit inprimis vatum in animo ‚poetico' vis illa procreatrix et maior eis detur in loquendo libertas quam prosae orationis cultoribus. Qua in re fertilissimi fuerunt Graecorum poetae, nimirum quia et universum populi ingenium et, quae idem maxime praestat, lingua summa erat facilitate, qua carent Romanorum et indoles et sermo. Tamen etiam Romanorum quemquam extitisse negem poetam, quin notione verborum mutata quicquam novaverit. Propertius autem mirum in modum permultarum vocum notiones novas edidit et singula verba ad diversissimas saepe significationes adhibuit; dummodo lexica inspexeris, tam parvi libelli auctorem tot locis ob novas verborum notiones memorari, miraberis. Multa quidem, quamvis rariora sint, communia habet cum prioribus, magnus autem est eorum numerus, quae solus vel primus in novos usus coegit.

De notissima praefaturus sum notionis mutatione, de ea nempe, qua participia praesentis vel perfecti temporis et adiectiva substantivorum more adhibentur. Quantopere vulgatus hic usus fuerit apud Latinos, nemo nescit, et de eius frequentia per singulos scriptores ex ordine saeculorum discripta pro sua parte satis accurate egit Draegerus synt. Lat. I inde a pag. 36. Ob eam causam autem hoc loco ea ponam, quia, quae eius generis nova protulit Propertius, copiam substantivorum auxerunt, qua de re in priore particula disputavi.

Participii praesentis formas in modum substantivorum adhibuit solus hasce:

Masculino genere:

arantes III, 7, 31 ‚Terra prius falso partu deludet a r a n t e s', nimirum pro ‚agricolis', nam dum arant, non deluduntur falso partu, sed potius dum metunt. In eodem argumento, sed, ut solet, minus audacter Ovidius am. III, 10, 34:

‚Inrita decepti vota colentis erunt'

dixit pro ‚coloni'. Tamen et illud Propertianum haud ita alienum est a communi sermonis usu, quo ‚arator' omnino de agricultore saepe, nonnunquam ‚arare' de universo negotio agrestium adhibebatur; cf. quoque in sqq. ‚aratum'.

Neutro genere, plurali numero:

stantia absolute positum pro solida terra, saxo, firmissimo quoque V, 5, 12, ubi de lena quadam:

‚Quippe et, Collinas ad fossam moverit herbas,
Stantia currenti diluerentur aqua'.

sonantia pro locis sonantibus:

V, 9, 35 ‚Fontis egens erro circaque sonantia lymphis'.

Quod dictum ut a coniecturis nulla necessitate propositis defenderent, similia adtulerunt Lachmannus ‚patientia', Hertzb. praeter cetera Plin. n. h. XII, 28, (61), 132 ‚sitientia' et Ovid. met. 5, 405:

‚Perque lacus altos et olentia sulfure fertur',

quem locum ad Propertii exemplar conpositum esse, eodem viro docto contendente non negem.

Participii deinde perfecti, masculino genere:

cognitus. De commercio, quod est viro cum femina, et omnino verbum ‚cognoscere' saepe usurpatur et ‚cognitus' participium invenitur apud Stat. Achill. 2, 228:

‚. . . . tacito iam cognita furto
Deidamia mihi' eqs.

et apud Tacitum hist. 4, 44 ‚Octavius Pontiam Postumam, stupro cognitam et nuptias suas abnuentem, impotens amoris interfecerat'. Longe alia autem est condicio in illo Prop. III, 27, 33:

‚Non ego tam facilis: sat erit mihi cognitus unus,
Vel tu vel siquis verior esse potest',

ubi ‚cognitus' per se ipsum, plane absolutum, idem est atque ‚amator', cuius dictionis non inveni aliud exemplum.

Neutro genere primus habet:

Ut ‚arantes' pro agricolis, sic **aratum** absolute pro agro:

I, 6, 32 ‚. . . . . seu qua
Lydia Pactoli tingit arata liquor',

quomodo apud alios multis locis legimus ‚culta'; cf. modo Verg. ge. 4, 372 ‚pinguia culta'. Unus postea Plinius duobus locis eadem voce agros significat: n. h. XXI, 16, (58), 98 ‚Sequitur (annonis) arata frugibus inimica vivaxque praecipue' et singulari casu XVII, 9 (4), 48 ‚Omnis autem marga arato inicienda est'.

Addi potest:

visum, quo id significatur, quod videmus; vulgari autem ex usu de imaginibus dicitur, quae nobis in somniis adparent vel quae phantasia nobis obicit, qua notione a Prop. adhibetur:

I, 3, 29 ‚Nequa tibi insolitos portarent visa timores',
III, 21, 20 ‚Cum mihi discussit talia visa metus'.

At de veris imaginibus, signis scilicet et tabulis pictis, nusquam reperitur nisi apud Prop:

II, 6, 28 ‚Et posuit casta turpia visa domo'.

Adiectivorum neutrum genus pro substantivo novo modo adhibuit:

sanum pro sanitate:

IV, 24, 18 ‚Volneraque ad sanum nunc coiere mea',

ad quod vindicandum Burmannus recte contulit usitatiora e Prop. exempla, quorum aptissimum est:

IV, 4, 28 ‚Cornibus in plenum menstrua luna redit'.

lugubria pro vestibus lugubribus positum:

V, 11, 97 ‚....: nunquam mater lugubria sumpsi';

deinde ab Ov. met. 11, 669, trist. IV, 2, 73 et a Sen. ad Helv. 16, Herc. fur. 626 adhibetur.

Eodem modo mihi videtur pro substantivo positum esse

aeternum pro res aeterna III, 26, 11:

‚Nec forma aeternum aut cuiquamst fortuna perennis:'

q. e. aeternum bonum, ut aeternum malum:

IV, 7, 38 ‚Sit socer aeternum nec sine matre domus',

quo loco Passeratius pro adverbio accepit ‚aeternum' collato Verg. Aen. 6, 617 ‚sedet aeternumque sedebit'. Addere poterat Aen. 6, 400, ge. 2, 400. Altero tamen loco substantivum agnoscit, nec scio, qua de causa altero idem negaverit.

Antequam nunc

Voces novo modo a Propertio translatae

tractentur, nonnullas commemorabo, quarum principalis et propria notio non nisi a Propertio nobis traditur. Sunt autem hae:

crotalistria V, 8. 39:

‚Nilotes tibicen erat, crotalistria Phyllis.'

Solus Prop. huius generis saltatricum nobis tradidit nomen. Apud Graecos κροταλιστής adhuc legitur, feminina forma analogis conprobatur, quales sunt: ὀρχήστρια, τυμπανίστρια, orchestria, tympanistria et, quod soli Romani servaverunt, cymbalistria. De ciconia ave eandem vocem adhibuerunt Publil. Syrus (apud Petron sat. 55) et Heinrichii e coniectura Iuvenalis 1, 116, de quibus locis cf. Teufel. l. l. p. 51, utroque autem loco eodem sensu ad similitudinem dictam, quod Ov. met. 6, 97 explicuit:

‚crepitante ciconia rostro'.

galeritus. ‚Galerita avis' dicebatur alauda, cuius capiti plumarum apex, galeri instar, inditus est Plinio teste n. h. XI, 37 (44), 121, quam e vulgari sine dubio sermone ‚galeritum' absolute adpellat Varro l. l. 5, 11, quomodo a Graecis ‚ὁ κορυδαλός' nominabatur. Sed etiam propria notione, de hominibus scilicet, quorum caput galerus integit, illam vocem in usu fuisse, unius Prop. exemplum docet:

V, 1, 29 ‚Prima galeritus posuit praetoria Lygmon'.

excultus, quod translato sensu vulgatum fuisse Ciceronis exempla (Tusc. 1, 2; legg. 2, 14) docent, et excolendi verbum saepissime translate usurpatum occurrit; tamen proprium verbi sensum Ovidius primus testatur am. 2, 220, participium autem de agri cultura praeter Propertium primum, qui

V, 1, 130 ‚Abstulit excultas pertica tristis opes'

dixit, Plin. XIV, 4 (5), 48 adhibuit. Deinde verbi

superare pro ‚maiorem esse, vincere aliquem' notissimus est usus, cuius Prop. habet exempla IV, 8, 22; 17, 19. Quo quidem rarius, sed communi scriptorum ex usu pro ‚superesse, restare' ponitur atque a Prop. V, 2, 57 ‚Sex superant versus . . . .' et e verissima Italorum coniectura IV, 4, 47 ‚Exitus hic vitae

superet mihi ...', utroque loco pro restare, quomodo IV, 16, 19 ‚Quod superest vitae'.

Etiam IV, 4, 29 ‚Unde salo superant venti, ...'

pro superesse dici a poeta, interpretibus adsentior, sed, notione ‚abundare' positum esse, nego. Immo, hoc loco principalem verbi ‚superare' eodem modo ac ‚superesse' positi significationem patere contendo interpretatus: ‚perdiscere libeat (v. 25) ..... unde super salum sint venti' i. e. ‚unde orti versentur super mare'. Tum

piare usitato sensu pro ‚ulcisci' et ‚vindicare' a Prop. positum invenimus:

IV, 3, 9 ‚Crassos clademque piate:'
IV, 18, 18 de Medea ‚...................... matris
Iram natorum caede piavit amor'.

In sacrificiis pro ‚purgare' adhibitum legimus:

IV, 9, 19 ‚Inde coronatas ubi ture piaveris aras',
V, 1, 50 ‚Dixit Aventino rura pianda Remo',
7, 34 ‚..... et fracto busta piare cado'.

In eadem re ‚piare' verbum pro ‚pie colere' usurpatur, quam primam certe huius verbi significationem ante Propertium apud unum Plautum deprehendi As. 506:

‚Úbi piem Pietátem, si istoc móre moratám tibi
Póstulem placére, mater, míhi quo pacto praécipis?'

Propertio autem iuveni priscus verbi usus placuisse videtur, nam in quinti libri el. 9 et versu 55 praebet:

‚Interdicta viris metuenda lege piatur,
Quae se submota vindicat ara casa.'

q. e. verenda lege pie custoditur et a virorum oculis defenditur; et eiusdem carminis versu 25:

‚Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus,
Femineae loca clausa deae fontesque piandos,'

ubi ‚fontes piandi' neque ‚expiandi' sunt ‚si vir ex eis biberet', ut Kuinoel. explicat, neque ex Hertzbergii explicatione, arguta profecto ac mira, ‚qui sacrificiis adhibentur', sed ‚venerandi et pie colendi'.

Ex eadem verbi notione facillime et declaratur et a coniecturis supervacaneis vindicatur vexatissimus ille locus,

I, 1, 20 ‚At vos, deductae quibus est fiducia lunae
Et labor in magicis sacra piare focis.'

Neque enim opus est ad defendendam codd. scripturam Hertzbergii argutiis, ‚sacra nostro loco non sacrificandi actionem' significare, ‚sed res sacrificio oblatas' eqs., dummodo e notione a Propertio ipso conprobata interpretemur: ‚qui sacra pio animo colitis in focis magicis.'

Quod autem L. Muellerus satis inproprie h. l. dici ‚sacra piare' profert, ‚cum alii sacerdotes non minus quam magi illi sacrificiis redditis deos placare sint soliti', illud mihi neglexisse videtur, minime summam in hoc versu vim habere ‚sacra piare', sed ‚magicis focis' praecipueque adiectivum ‚magicis'. Nam et sententia hoc indicat et illa verba egregiis versus locis collocata sunt, eisdem, quos in antecedenti versu ‚deductae lunae', quorum ibi summa vis, tenent, ita ut haud dubium mihi sit, quin Prop. de consilio ea opposuerit.

Coniectura igitur Rob. Ungeri ‚astra', quamvis a Muellero palaeographica arte commendata, nec minus Fontei ‚fata' reiciendae sunt. Altera autem, quam in longiore versu pro codd. ‚fallacia' proposuit Muellerus coniectura et necessaria (vide ipsum) et verissima, ‚fiducia', nostra brevioris versus interpretatione valde conprobatur: nam, qui sacrificiis pia mente operam dant, eorum est fiducia erga numina, quae colunt, minime autem fallacia.

concumbere et **concubitus** congressum venerium, ut ‚coire' et ‚coitus' significare solent, ‚concumbere' eo sensu a Prop. quoque adhibetur III, 7, 16:

‚Dicitur et nudae concubuisse deae'.

Actum autem omnino concumbendi et iacendi unus Propertius his vocibus significat:

V, 1, 4 ‚Euandri profugae concubuere boves',
8, 36 ‚Quaeris concubitus? inter utramque fui',

q. e. ‚quaeris, quo ordine in convivio iacuerimus' ad q. l. cf. Val. Max. II, 1, 9 ‚Ne senioris adventum discubitu praecurrerent', ubi ‚discubitus' de actu discumbendi singulariter est dictum.

Restat denique:

desidia. Translati sed vulgati usus huius vocis pro ‚ignavia, inertia, otium' positae exempla undique colligi possunt, neque Prop. desunt:

I, 12, 1: ‚Quid mihi desidiae non cessas fingere crimen.'

Significatione autem eius vocis propria ab ipso verbi ‚desideo' sensu derivata nemo sane usus est nisi Propertius:

I, 15, 6 ‚Et longa faciem quaerere desidia',

ubi ‚longa desidia' idem est ac ‚longa sessione'. Similiter, sed a verbo ‚desido' derivatum ‚desidia' adhibuit Apul. dogm. Plat. II, 17, 15 ‚Robur viresque frangit et verum colorem ad desidiam sanguinis mutat' h. e. ad recessum; idem de mundo 73, 28 ‚Regiones desidia maris pedestri accessu pervias factas.'

Sed, ut ad ea, quae tractanda nobis proposuimus, tandem transeamus, per genera discriptas consideremus voces novo modo a Prop. translatas. Venia autem quodammodo mihi petenda est ab eis, quibus eorum, quae tractaturus sum, dispositio — qua iterum in substantiva, adiectiva, verba dispertiam — minus placebit. Sed multa conato nulla mihi aptior visa est, qua perspicua proponatur poetae elocutio. De singulis disponendis in quoque genere videbimus; de materia autem illud mihi observatum esse, iam hoc loco adnotem, tria potissimum esse, in quibus poeta novaverit, primum cum de carmine ipso et poetarum officio, deinde cum de eis, quae ad amorem, denique cum de eis, quae ad mortem pertinent, loquatur. Qua de re non mirabitur, quicunque Propertium cognoverit poetam, Musarum sacerdotem verissimum, amoris vatem fervidissimum, cuius carmina autem saepe gravi quadam maestitia et mortis recordatione inbuta sunt.

De substantivis

disserturo, ut a facilioribus capiam initium, de ea mutatione primum agere in animo est, quae ex similitudine nascitur.

ala pro remo dictum est:

V, 6, 47 ‚Nec te, quod classis centenis remiget alis,
Terreat: . . . .'

In quo versu, cum omnes fere interpretes dubitarent, utrum pro remis an pro velis ‚alis' esset positum, de velis interpretandum esse, Hertzbergius e Verg. Aen. 3, 520 ‚velorum pandimus alas' et Flor. III, 2, 3 ‚velificantes — adremigaverunt' conprobare sibi visus est. Illud quidem v. d. concedam, exemplis ab interpretibus adlatis, ubi ‚pennae' dicuntur ‚avium remigia' (Lucr. VI, 744; Sil. 12, 93; addo eiusd. 3, 682 (13, 185; 238); Virg. Aen. 1, 304; 6, 19; Ov. met. 5, 558; a. a. 2, 45) nihil evinci. Id potius, ut de remis poetam cogitasse credam, me commovit, quod ‚remigare alis' dicitur; neque per se ipsum stare mihi videtur ‚remigare' verbum, ita ut ‚centenis alis' cum ‚classis' voce iungendum sit; ceterum antecedenti versu iam commemorantur vela; quare ne ineptam repetitionem poetae obtrudamus. Idem immo, quod noluit Hertzb., Graecorum exemplum hic latere arbitror; cf. modo Hom. Od. 11, 125 et 23, 272:

‚οὐδ' εὐήρε' ἐρετμά, τάτε πτερὰ νηυσὶ πέλονται'

et ad e. l. Eustath. p. 1676, 29; Poll. I, 90.

Sic quoque de remis adhibent vocem

palma Catull. 64, 7; Vitr. 10, 8; de clipeo, parma Tibull. I, 9, 82, de aliis similibus alii. Unum Prop. pro penna eadem voce uti I, 20, 27, ubi de Hyla:

‚Hunc super et Zetes, hunc super et Calais,
Oscula suspensis instabant carpere palmis',

docuit Lachmannus. Non persuasit Hertzbergius, qui manus apte intellegi posse praedicat. Certe enim, cum de Calai et Zete, alis indutis, ageret, de pennis quoque cogitavit h. l. poeta. Ceterum etiam hoc factum est Graecorum ex imitatione, qui ταρσοὺς saepe de alis usurpant.

Ex similitudine metaphora oritur, cuius figurae Propertius plurima omnino habet exempla; nova autem sunt haec:

E Graecorum exemplo:

cymba IV, 2, 22 ‚Non est ingenii cymba gravanda tui', quod recepit Ovid. a. a. 3, 25 sq.:

‚Nec tamen hae mentes nostra poscuntur ab arte.
Conveniunt cymbae vela minora meae';

cf. quoque Quint. XII, 10, 37 et Prop. IV, 8, 4; 35, ubi idem

argumentum Ovidio tritissimum occurrit. Propria autem ‚cymba' vocis notio frequens est in Propertio I, 11, 10; II, 4, 29; IV, 17, 24; V, 6, 63; 11, 69. Simile, sed minoris momenti, est:

tornus III, 32, 43 ‚Incipe iam angusto versus incudere torno',

quo enim in versu nihil novum est nisi ‚tornus' substantivum metaphorice adhibitum, quod praeterea legimus apud auct. paneg. ad Pis. 83. Nam sententia ‚torno incudere versus' iam praebetur ab Horatio a. p. 441:

‚Et male tornatos incudi reddere versus'.

Utrumque autem, et ‚tornus' et ‚tornare', eorumque notiones translatae a Graecis recepta sunt: vide modo τόρνος et τορνεύειν in lexicis. Sic quoque primus Propertius

orgia IV, 1, 4 ‚Itala per Graios orgia ferre choros'

translate adhibuit de sacris amoris vel de carminibus eroticis. Eandem vocem alio sensu transtulit Col. 10, 217.

Sed haec de carmine. Amoris autem cum igni conparatio vulgaris est, unde variae extiterunt apud poetas metaphorae; atque Propertius ‚ignis' (I, 6, 7; 9, 17; 11, 7; III, 32, 44; IV, 5, 39; 7, 29; 16, 9), ‚ardor' (I, 3, 13; 7, 24; 10, 10; 13, 28; 20, 6) cum Verg., Tib., al. protulit; ‚calor', quod antea, quantum scio, solus Horatius c. IV, 9, 11 plurali numero ea notione adhibet, Prop. I, 18, 17; IV, 7, 9 singulari, I, 12, 17 plurali praebuit, utroque numero frequentatum Ovidio (met. 11, 305; her. 19, 173; a. a. 1, 237; al.); ‚flamma' vero, quod ea sententia Cat., Verg., Hor., Ov. in usu fuit, non praestitit Propertius nisi III, 32, 86. Locupletasse autem videtur eum numerum voce

aestus, de amore adhibita

III, 31, 43 ‚Semper in absentes felicior aestus amantes'.

Quae vox de igni ad mare transfertur, unde metaphorice de amore usurpata esse videtur collato Ov. her. 16, 25

‚Perstet et, ut pelagi, sic pectoris adiuvet aestum',

qui idem quoque poeta ‚aestuare' met. 6, 490 eodem modo posuit, cui l. cf. Mart. IX, 23, 11.

Harum autem vocum nonnullas pro puellis ipsis amatis

adhiberi suo loco videbimus. Quod quoque censebant singulariter fieri interpretes vocibus:

taeda I, 8, 21:

‚Nam me non ullae poterunt corrumpere taedae',

faces II, 7, 8 ‚Quam possem nuptae perdere amore faces'. Recte eam sententiam refutavit Lachmannus, qui ad II, 7, 8 demonstravit, etiam hisce locis amorem significari. ‚Taeda' quidem ea quoque notione, absolute de amore, singulariter hoc loco dicitur; quae vero causa non debuit movere Baehrensium (misc. crit. p. 74), ut, quod corruptum tradiderunt codices ‚de te', quodque Itali iam omnium adsensu expediverunt, reponeret. Altera autem voce ‚fax' ea significatione uti solent et alii et Propertius (apud quem proprio sensu legitur I, 3, 10; 16, 8; II, 8, 32; IV, 15, 16; V, 6, 30):

I, 13, 26 ‚Nam tibi non tepidas subdidit illa faces',
V, 4, 70 ‚Culpam alit et plures condit in ossa faces'

pro ‚amorem inicere vel augere' et, ubi aperta conparatione loquitur: V, 3, 49:

‚Omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior:
Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem'.

Eiusdem vocis aliam quoque metaphoram instituisse videtur: nam quod Propertius primus, sed per adpositionem de oculis dixit II, 3, 14

‚Non oculi, geminae, sidera nostra, faces',

quocum cf. Stat. Ach. 1, 164, idem, nullo, quo explicetur, verbo addito pro oculis adhibet Val. Flacc. 5, 38. Commemorandus denique est is usus, quo symbolice eadem vox ponitur. Nam et pro nuptiis (vide V, 11, 33 cf. V, 3, 13 et ‚taeda' IV, 18, 25) et pro morte (cf. IV, 12, 17; V, 11, 10) dici, notissimum est; utrumque autem coniunctum primus protulit Prop.

V, 11, 46 ‚Viximus insignes inter utramque facem',

quacum sententia cf. Ov. fast. 2, 561 sq.:

‚Conde tuas, Hymenaee, faces, et ab ignibus atris
Aufer: habent alias moesta sepulcra faces.'

Pro nuptiis aliud quoque nuptiarum insigne novo modo a Propertio ponitur:

palla V, 4, 60 ‚Vos medium palla foedus inite mea'; propriam notionem habes V, 9, 47. Porro

lectus et **torus** propria et simplici notione adhibet: lectus I, 3, 35; 8, 33; 12, 3; II, 1, 45; 4, 21; 9, 27; 45; III, 16, 5; 19, 4; 27, 24; 31, 41; IV, 5, 11; V, 3, 31; torus I, 3, 12; 34; 14, 20; III, 9, 4; 22, 4; 27, 35; IV, 9, 2; 12, 36; V, 8, 88; praegnanti sensu vulgari ex usu et de lecto funebri: lectus III, 2, 3; 5, 5; IV, 12, 17; V, 7, 30; 11, 10; torus III, 5, 6; IV, 5, 30 et de lecto geniali, sive legitimo: lectus V, 11, 85; torus II, 9, 16; V, 3, 56; 11, 86 sive nota apud eroticos translatione[1] de inlegitimo: lectus II, 2, 1; III, 13, 24; 15, 31; IV, 5, 23; 33; 19, 2; V, 7, 6. Inde ad coniugium sive ad commercium venerium significandum transtulit: Aperte quidem eis, quae, ambigue dicta, utroque modo, et proprie et translate accipere et vertere potes, metaphorica illa loquendi ratio patet, ut:

III, 11, 13 ‚Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus',
30, 55 ‚Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum',
17, 22 ‚......... nolim furta pudica tori'.

Fortiora autem sunt:

IV, 20, 11 ‚Namque ubi non certo vincitur foedere lectus',
V, 3, 69 ‚Incorrupta mei conserva foedera lecti',
IV, 7, 37 ‚At tibi, qui nostro nexisti retia lecto',
V, 8, 27 ‚Cum fieret nostro totiens iniuria lecto',
4, 62 ‚Credite, vestra meus molliet arma torus',
5, 6 ‚Concordique toro pessima semper avis',
IV, 20, 16 ‚Pollueritque novo sacra marita toro'.

Quem usum receptum postea excoluit Ovidius (cf. modo her. 2, 41; 5, 101; 21, 140; am. III, 6, 82, trist. 2, 278; pont. II, 8, 29; III, 3, 50; fast. 3, 511; 5, 206). Ante Propertium autem, qui tam absolute eum adhibuerit, inveni neminem.

Sed amplius etiam progressus est Propertius; nam ut ‚coniugium' pro coniuge V, 11, 87; IV, 12, 20 (de quibus tertia in dissertationis parte mihi erit agendum) ita ‚lectus' et ‚torus'

1. sic ‚coniux' adpellatur puella amata II, 8, 29; III, 24, 33 (cf. II, 6, 39 sq.), ‚vir' dicitur amatus II, 6, 6; V, 5, 45, alia passim.

pro coniuge aut puella amata usurpavit; atque, in quibus iterum dubitare potes, utrum proprie an translate accipias, haec sunt:

III, 32, 17 ‚Lecto te solum, lecto te deprecor uno',
V, 8, 28 ‚Mutato volui castra movere toro'.

Certa vero sunt:

II, 6, 23 ‚Felix Admeti coniunx et lectus Ulixis,
Et quacunque viri femina limen amat',
IV, 11, 6 ‚Et quisquis fido praetulit arma toro'.

Mirum in modum utrumque Plin. iterum praebet: ‚torus' enim XXXIV, 3 (6), 12 pro coniugio, XXXV, 10 (36), 87 pro ipsa coniuge dixit. De ‚torus' voce denique pro nocte IV, 20, 2 dicta vid. pag. 49.

Huc quoque pertinet notissimus ille usus, quo eas res, quibus certos deos praeesse putabant, etiam nomine deorum induere solebant; nam numen in eis ipsis inesse et artissime cum rebus coniunctum tanquam in eis habitare putabant veteres. Frequens autem in eiusmodi significationibus est Propertius, qui ex usu communi ‚Amor' et ‚Venus' passim eo sensu adhibuit. Sed ut perspicias, quanta sit in Propertio numinum et rerum confusio, utriusque unum proferam exemplum audacius; huius:

I, 1, 33 ‚In me nostra Venus noctes exercet amaras',
illius III, 19, 6 ‚Ille tuus pennas tam cito vertit Amor?'

Nam ‚Amor' non ‚amor' h. l. puto scribendum esse criticis[1], qui tamen

I, 9, 23 ‚Nullus Amor cuiquam faciles ita praebuit alas'

excudi iusserint, ubi falsos esse, qui ‚nullus' adiectivum pro ‚nusquam' adverbio dici interpretabantur, alter ille locus docet.

Paulo rarius, sed et ante et post Propertium,

‚Bacchus' dictum est vinum, ab ipso I, 3, 9; Iacchus II, 3, 17; Lyaeus III, 31, 35; IV, 4, 21; Minerva de texendi arte II, 9, 5; V, 5, 23. Lar denique pro domo V, 10, 18; et, quod minus saepe apud alios legitur, plur. num. Lares V, 1, 128;

1. sic quoque mutandum proposuit II, 1, 58 Bernh. Kuttnerus (‚de Prop. elocut. quaestt.' diss. inaug. Hal.-Sax. 1878, pag. 29).

8, 50, ut notissimo usu Penates, quod I, 22, 1; III, 28, 21; V, 1, 121 ea notione usurpavit.

Novae autem eiusdem generis in Propertio occurrunt et diei et noctis significationes haec:

Lucifer mira sed pulcra audacia pro die ponitur

III, 12, 28 ‚. . . . . memento,
Venturum paucis me tibi Luciferis'.

Libenter accepit, sed minus audacter adhibuit eam locutionem Ovidius fast. 3, 877:

‚Tres ubi Luciferis veniens praemiserit Eos',

ubi ‚tres Luciferos' stellam quoque ter praemissam interpretari potes, nec non similiter expedire licet alterum,

fast. 1, 46 ‚Ne tamen ignores variorum iura dierum:
Non habet officii Lucifer omnis idem'.

Est enim ea omnino Ovidii in eis, quae Propertius nova in sermonem induxit, imitandis ratio, quam saepius hisce in quaestionibus observabimus, ut caute recipiat, quae audacior Umbri poetae vis procreavit.

Arctos nomen est, a Graecis acceptum, duorum siderum notissimorum, quae et ursae et currus et plaustra adpellantur. Quapropter et polum et universam regionem septentrionalem saepius significat. Propertius autem, ut Luciferos pro diebus, Arctos pro noctibus dicere ausus est:

III, 15, 25 ‚Iuppiter Alcmenae geminas requieverat Arctos,
Et caelum noctu bis sine rege fuit'.

Ita enim intellegendam esse eam vocem, pristinam autem huius loci interpretationem, qua ‚requieverat' activo sensu accipiebant, falsissimam esse, demonstravit et conprobavit Jacobus, qui quoque illum locum adtulit, quo iterum, quinto quidem p. Chr. saeculo, idem invenitur, Claudiani consol. Prob. et Olybr. 23

‚Haud secus ac tacitam Luna regnante per Arcton
Sidereae credunt acies' eqs.

Ceterum de eiusd. v. interpretatione accuratius postea videbimus. Commemorandi sunt hoc loco duo versus:

V, 11, 65 ‚Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem',

singulariter dictum pro ‚duos magistratus gessisse'; insigne, sella curulis, pro re ipsa, magistratu, usurpatum est, quod quidem saepissime fit in eiusmodi significationibus, hic autem egregia audacia et singulariter positum est a Prop. eo, quod geminari dicitur sella curulis, cum tamen magistratus honor iteretur, quod simpliciter expressit Ovid. pont. III, 4, 99:

‚. . . . . geminabit honorem
Filius et iunctis, ut prius, ibit equis',

ubi intellegitur: triumphabit denuo; cf. quoque Tac. ann. 1, 3 ‚geminatis consulatibus'. Ex contrario:

II, 1, 36 ‚Et sumpta et posita pace fidele caput'

pro ‚et sumpta et posita toga', inversa solita sententia, re ipsa nimirum pro eiusdem rei insignibus posita, unus, quantum video, audacter pronuntiavit Propertius.

Altera notionis mutandae species est illa, quam graeco nomine συνεκδοχήν dicunt grammatici, qua enim pars ponitur pro toto. Sic, ut a notissimo ordiar, quomodo ‚miles' passim dicitur pro militibus vel exercitu, ‚remex' pro remigibus a Prop. IV, 11, 34 cum Verg. Aen. 5, 116 et aliis,

anguis a solo, quantum video, Propertio pro anguibus dictum est, ut aiunt collective:

IV, 4, 40 ‚Tisiphones atro si furit angue caput',

ad q. v. cf. Tib. I, 3, 69:

‚Tisiphoneque inpexa feros pro crinibus angues
Saevit . .';

sic quoque arbor pro arboribus accipienda est:

IV, 12, 26 ‚Divitiaeque quorum messis et arbor erant',

pro silva aut nemore:

IV, 2, 13 ‚Cum me Castalia speculans ex arbore Phoebus
Sic ait aurata nixus ad antra lyra',

ubi Hertzb. arborem proprie accipiendam esse, conatur probare ex picturis plurimis, in quibus ‚vel citharam arboris trunco inpositam vel deum ipsum in arborem reclinatum videmus'. Sed, si ita deum speculantem cogitasset poeta, nonne ‚ad truncum' dixisset pro ‚ex arbore', rogem? Nimirum quod ad antra eum

lyra nixum finxit, eo modo locutus est, nec persuadent istae Herzbergii argutiae ‚Quid enim arborem illam proxime antrum sitam fingi vetuerit?' Recte quidem, provocare non debuisse interpretes, sensit Hertzb., ad IV, 22, 33

‚Penthea non saevae venantur in arbore Bacchae',

ubi e Penthei fabula coll. Eur. Bacch. 1093 Lachmannus apud Iacobum propriam notionem subesse observavit (cf. ceterum Otto ‚fabb. Propp.' II, 17 progr. gymn. Gross-Glogau 1886). Neque iniuria ipse Hertzb. conparat

V, 4, 4 ‚Multaque nativis obstrepit arbor aquis',

quod minus audacter dictum in medio versatur inter vulgare ‚arbores' et singulare ‚arbor', quae loquendi ratio saepius a Prop. adhibetur, ut ‚multa umbra' V, 9, 30 ‚multa arena' II, 8, 33. Per synecdochen etiam

tempus pro capite primus dixit Catullus 61, 161:

‚Usque dum tremulum movens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus adnuit.'

A quo acceptam non modo adhibuit metonymiam Prop.:

V, 9, 15 ‚Maenalio iacuit pulsus tria tempora ramo
Lacus',

sed etiam ea singulariter usus est ita, ut facies, vultus intellegendus sit:

III, 11, 9 ‚An si caeruleo quaedam sua tempora fuco
Tinxerit, idcirco caerula forma bonast?'

Usitato sensu posita est vox I, 3, 22; III, 18, 3; IV, 16, 13.

gena de ipsis oculis primus Prop. dixit:

IV, 11, 26 ‚Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae',
V, 5, 16 ‚Cornicum inmeritas eruit ungue genas'.

Inde Ovidius:

pont. II, 8, 66 ‚Et patiar fossis lumen abire genis',
her. 20, 205 ‚Restiterim fixis in tua membra genis';

cf. Sen. Troad. 442. Pro palpebra, e qua notiore significatione illa derivata est, eadem vox reperitur:

V, 11, 80 ‚Cum venient, siccis oscula falle genis!'

Communi denique usu pro malis III, 10, 6; V, 8, 26.

uber de lupa nutrice dixit:

IV, 8, 51 ‚Eductosque pares silvestri ex ubere reges',

ut ‚papilla', sed sine ista absolutae loquendi rationis audacia, positum est:

V, 4, 54 ‚. . . . . non quem sine matris honore
Nutrit inhumanae dura papilla lupae'.

gyrus cum de quocunque circulo tum de eo usurpatur, intra quem equi frenis oboedire docentur; etiam locum ipsum, curriculum saepius vocatum, ea voce significari, e solo Propertio discimus, qui de Spartana puella:

IV, 13, 11 ‚Gyrum pulsat equis . . . .'

annus denique plurali numero pro aetate positum haud raro legimus et apud alios et apud Prop. V, 7, 73; 11, 95, singulari autem numero pro aetate seu vita nusquam occurrit nisi:

Prop. V, 5, 59 ‚Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus.'

Inversa porro synecdoches ratione

focus a solo Prop. omnino de igni et flamma usurpatur:

V, 11, 54 ‚Exhibuit vivos carbasus alba focos',
9, 10 ‚Per tria partitos qui dabat ora focos.'

Eadem vox Propertio valde frequentata et propria notione pro loco, ubi ignis servatur aut humanum aut divinum in usum et pro domo tota saepissime a poeta ponitur, rariore etiam usu familiam significat, ac caute quidem:

II, 1, 62 ‚Et deus extinctum Cressis Epidaurius herbis
Restituit patriis Androgeona focis',

audacissime vero coniunxit:

IV, 17, 12 ‚. . . . amplexum Caesaris esse focum',
V, 11, 42 ‚Labe mea nostros erubuisse focos'.

Nec minus audacter insuper coniunctum e Graecorum exemplo adhibuit nova notione vocem:

ara IV, 20, 15 ‚Ergo, qui pactas in foedera ruperit aras.'

‚Propertius propria sibi audacia aras dicit iura iuranda per sacrum. Ita βωμὸν usurpat Aristophanes Acharn. 307:

‚Οἷσιν οὔτε βωμὸς οὔτε πίστις οὔθ' ὅρκος μένει.'

Optime hisce verbis rem explicat Lachm., quam editores non intellegebant, qui ‚tactas' correxerunt, et frustra sagacitate Lachmannum vincere studet Hertzb. argumentatione hunc ad finem tendente: ‚Pacta in foedus ara communis domus focus erit, iuxta quem et alia sacra nuptialia fiebant et iuramenta futuri foederis concepta hic finguntur.' Simili modo interpretes:

aura a Prop. solo pro repercussu vocis, quae ‚echo' dicitur, positum explicant ‚qui medio aëre fit'; legitur autem I, 20, 50, ubi de Hyla a nymphis rapto:

‚Cui procul Alcides iterat, responset: at illi
Nomen ab extremis fontibus aura refert'.

Idem satis raro dicitur pro voce, sed iam a Verg. Aen. 7, 646:

‚Ad nos vix tenuis famae perlabitur aura';

de humana voce prorsus idem adhibuit Propertius:

III, 23, 15 ‚Si modo clamantis revocaverit aura puellae'.

‚Clamantis' enim cum codicibus post Vahlenum (quem vid. de h. v. Mon.-Ber. d. Ac. d. W. zu Berlin 1881, pag. 339) scribo pro eo, quod e V. mg. m. 2 ‚damnatis' erutum diu retinuerant ‚damnatum'.

Addenda quoque sunt:

IV, 22, 36 ‚Aut faciem turpi dedecorare bove',

mire et audacter dictum pro ‚bovis figura', cui simillimum et metonymia et audacia:

V, 5, 14 ‚Et sua nocturno fallere terga lupo'

pro lupi figura aut pelle.

Sed quae ultima enumeravi, ne nimis anxie ad angustam synecdoches figuram revocemus neve amplius ea, quae solutum poetae ingenium procreavit in grammaticas normas conpellendo metiamur et aestimemus. Quam enim rationem si persequi velis in poeta, facillime accidit, ut false interpreteris et propter nimium distinguendi studium poetae verba e regulis grammaticis quam ex sententiarum connexu percipere malis. Neque vero certa quadam et definita ratione mutatio fit vocum notionis, sed eo modo et eum in usum, quem locus, quo quaeque adhibetur, postulat. Praeterea in Propertio eiusmodi distinctionem persequi salva perspicuitate vix poteris propter notionum mutatarum

abundantiam et magnam saepe eiusdem vocis modo hunc modo illum in usum adhibitae varietatem.

Sic earum vocum, quae ad mortem pertinent, tanta frequentia inest Propertii in carminibus, quanta apud nullum certe alium poetam, eodemque vocabulo diversissimae eius generis res significantur. Qua de confusione iam egerunt Lachm. in comm. ad V, 11, 8, Hertzb. ad eundem locum (v. 1—6), Bernh. Kuttnerus denique omnibus exemplis collectis et dispositis totum eiusmodi substantivorum usum Propertianum illustravit lib. l. inde a p. 29—42. Quare iterum copiosius de eadem re agere, supervacaneum duxi ea tantum enumeraturus, quae nova praestitit. Et quod Lachm. et Hertzb. observaverunt et aliis conparatis demonstraverunt, quodque Kuttnerus congestis omnibus Propertii locis conprobavit, etiam mihi iterum statuendum est, coluisse eum usum Romanorum maxime Propertium, minus tamen auxisse novis vocum notionibus. De altero igitur inspicias Kuttneri commentationem, alterius autem exempla sunt haec:

fatum vocem de ipsis deis Parcis primus scriptorum Propertius adhibuisse videtur:

V, 7, 51 ‚Iuro ego Fatorum nulli revolubile carmen';

postea idem occurrit Stat. silv. V, 1, 259; Theb. 8, 26; al. Unus autem de Orco usurpavit:

I, 19, 12 ‚Traicit et fati littora magnus Amor',

cf. III, 25, 5 ‚Una ratis fati nostros portabit amores'

et V, 6, 83 ‚nigras — arenas' de littoribus Orci. Singulariter quoque positum esse censuerunt pro funeris reliquiis, ossibus et cinere:

I, 17, 11 ‚An poteris siccis mea fata opponere ocellis',

commoti scil. codd. scriptura ‚reponere', quod est ‚sepelire'. Sed optime Iacobus Italorum coniecturam ‚opponere' defendit et conprobavit, ita ut sententiam praebeat versus: ‚haud commoto animo tecum cogitare poteris de morte (= fatis) mea?' De

mors voce deinde egit Kuttnerus, sed, quod satis proprie dixit

Prop. III, 5, 6 ‚Nec sit in Attalico mors mea nixa toro'

pro ‚ego mortuus' i. e. meum ‚cadaver', quomodo sit explicandum et conprobandum, tum demum videbimus, cum de novis vocum iuncturis sermo erit.

funus mirum in modum adhibuit:

V, 11, 3 ‚Cum semel infernas intrarunt funera leges',

ubi de Manibus et umbris mortuorum cogitare nos cogit sententia, quae est ‚Orcum cum intrarunt—Manes'.

Pro ossibus dictum esse censet Kuttnerus:

III, 5, 18 ‚Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
Quae tegat extincti funeris umbra locum',

sed omnino de rogo intellegendum esse propter adiectum ‚extincti' puto, ut quoque

IV, 14, 46 ‚Te solam et lignis funeris ustus amem'.

Recurrit autem ‚funus' pro rogo positum Suet. Domit. 15 f.

Quod supra denique ‚extincti funeris locum' i. e. bustum dixit, breviter ‚funera' adpellat:

I, 22, 4 ‚Si Perusina tibi patriae sunt nota sepulcra,
Italiae duris funera temporibus',

cui cf. Prop. II, 1, 27:

‚Nam quotiens Mutinam aut civilia busta Philippos'.

rogus pro ipso mortuo in rogum inposito dici

V, 11, 72 ‚Haec est feminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum'

eoque sensu accepto bene stare traditum ‚emeritum', iam ante Kuttnerum Hertzbergius sensit et conprobavit. Sed et hoc singulare est et quod praestitit:

V, 11, 8 ‚Vota movent superos: ubi portitor aera recepit,
Obserat herbosos lurida porta rogos',

ubi non bene intellexit Lachmannum ab ipso laudatum Kuttnerus, pro ‚sepulcro' (ut IV, 6, 10; Cat. 68, 97) dictum esse interpretatus. Nam ipse Lachmannus ‚Sed dignum' ait ‚observatione est, aliud etiam in hoc loco ausum esse Propertium, rogum vel sepulcrum pro Orco dicere. Nam ita intellegendum esse praecedentia evincunt ‚Ubi portitor aera recepit', eqs.

Manes quoque satis audacter pro cinere et corporis cremati reliquiis adhibuit:

III, 5, 16 ‚Deinde, ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat Manes parvola testa meos'.

De Manibus autem cum cinere artissime coniunctis cf. et Prop. V, 5, 3, de quo accuratius postea disputabimus, et Verg. Aen. 4, 34:

‚In cinerem aut Manes credis curare sepultos?'

Sed non adderem cum Kuttnero eiusd. eleg. v. 41:

‚Sed frustra mutos revocabis, Cynthia, Manes:
Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui?'

nam h. l. umbram mortui, quam ossibus praeditam finxisse Propertium ipse Kuttnerus iure praedicat (pag. 36 l. l.), intellegendum esse, puto.

Neque recte pro cadavere non cremato (ut Liv. 31, 30; Plin. XI, 32 (55), 148; XVI, 44 (85), 234) positum esse, idem v. d. iudicat:

II, 8, 19 ‚Exagitet nostros Manes, sectetur et umbras,
Insultetque rogis, calcet et ossa mea.'

Immo h. l. ad Hoffmanni[1] sententiam accedo, qui ‚Manes' eodem sensu atque ‚umbra' dici coll. V, 7, 1 contendit. Nam eo, quod Kuttnerus adfert ‚Haec quattuor enim sunt, in quae saevire potest Cynthia: corpus, rogus, ossa, umbra; quintum non datur' nihil profecto evincitur; immo sensus perturbatur et ordo sententiarum. Quid enim est illud ‚exagitare corpus (= Manes. Kuttn.)'? Ita autem per distichon eleganter dispertitae sunt a poeta quattuor illae sententiae, ut altera parte, longiore versu, de animae, altera, brevi versu, de corporis vexatione ageretur, utraque autem idem simili argumento bis diceretur.

De ceteris, nempe ossa[2], cinis, pulvis, favilla, umbra, sepulcrum, bustum, cum tota exemplorum Propertianorum series etiam aliorum analogis illustrari possit, satis habeo delegasse lectorem ad Kuttneri quaestt. l. l. Dignum autem, quod hisce addam, mihi visum est:

spiritus. Quam vocem de umbra defuncti Marcelli interpretari

1. cuius commentatio ‚Die auf den Tod bezüglichen Ausdrücke in den röm. Dichtern' (progr. gymn. Col.-Berol. 1875) iure propter neglegentiam a Kuttnero castigatur.

2. nam etiam de Lachmanni, ‚ossa' aliquoties pro Manibus dici a Propertio statuentis, aliorumque sententiis, recte disputasse mihi videtur Kuttnerus p. 36 sq.

IV, 17, 10 ‚His pressus Stygias voltum demisit in undas,
Errat et in vestro spiritus ille lacu',

se non audere, quia exemplis confirmare nequeat, fatetur Passeratius, quamvis illo ‚errare' commendari ea explicatio videatur. Nec mihi, ut alterum exemplum indagarem, contigit. Omnibus enim, quae ad hunc accedunt, locis pro animo dicitur, ut Verg. Aen. 4, 336 ‚dum spiritus hos reget artus'. Nec minus Ovidius met., ubi errans quoque fingitur spiritus, 15, 165:

‚. . . . . errat et illinc
Huc venit, hinc illuc et quoslibet occupat artus
Spiritus eque feris humana in corpora transit',

de anima cogitavit; tamen trist. III, 3, 61 sqq.:

‚Nam si morte carens vacuam volat altus in auram
Spiritus, et Samii sunt rata dicta senis,
Inter Sarmaticas Romana vagabitur umbras'

confusio mihi statuenda esse videtur vulgaris de umbris, quas Manes vocant, opinionis cum Pythagorea de animorum post mortem ab aliis ad alios transitionis doctrina et redolet h. l. vox ‚spiritus' illam notionem, quae quin insit in Propertiana, minime dubito; quod non negabis, dummodo e Lachmanni iusta verborum distinctione interpreteris ‚ille (sc. Marcellus) — fluctibus obrutus et mortuus, errat per aquas — nunc spiritus'.

Sed nunc ad alia transeamus:

cura vox cum apud omnes eroticos poetas non rara tum Propertio amatissima, vario sensu ab eo adhibetur et pro qualibet animi sollicitudine aut studio (I, 6, 22; 11, 22; 18, 23; 20, 35; II, 1, 26; III, 3, 4; 8, 2; 33; 10, 21; IV, 6, 4; 21; 13, 28[1]; V, 1, 17; 3, 41; 11, 74; 94) et praecipue de amore (I, 1, 36; 5, 10; 8, 1; 10, 17; 11, 5; 13, 7; IV, 16, 4; 21, 3) nec non de ipsa puella amata (III, 32, 9; cf. III, 20, 1), utrumque tamen non novum sed frequentissimum modo est in Propertio.

1. non intellego, curnam Broukh. h. l. ‚odoratae cura molesta comae' distinxerit curam ‚ratione quadam peculiari de comis dici et capillis' praedicans. Quanam ratione? Non nos movent exempla a Gronovio obss. crit. I, 23, pag. 98 congesta. Nam nihil profecto interesse inter vocis ‚cura' h. l. notionem et I, 11, 22 ‚cura vitae', I, 6, 22 ‚cura patriae', III, 8, 33 ‚cura theatri', nemo non videt. Tamen ea distinctio in lexica inrepsit.

Unam vero novam ac singularem eiusdem vocis protulit notionem; dixit enim I, 3, 46:

‚Ille fuit lacrimis ultima cura meis'.

Quem versum virorum doctorum alteri — Hemsterhuysium puto et cum eo Burmannum — ita interpretabantur, ut curam pro medicina positam esse explicarent; alteri ad coniecturas confugiebant, ut ‚creta' Scaliger, ‚meta' Heinsius pro ‚cura' reposuerunt. Argutiis iterum sibi visus est auxilium ferre Hertzb., qui ‚lacrimis meis' pro ‚mihi lacrimanti' positum esse contendit, ‚curam' autem sollicitudinem Cynthiae significare, explicat, quae et tota elegia pateret et versu 44:

‚Externo longas saepe in amore moras'.

Recte quidem Hertzb. admonet, exemplis ab eis, qui ‚cura' pro ‚medicina' positam esse defenderent, adlatis nihil profici, quia non remedii sed curationis significatio in eis inesset, et inprimis Propertii ipsius locis, quibus Burmanus nititur (I, 10, 17; III, 20, 1) contrarium ipsum medicinae, angorem nimirum et molestiam, vindicari, qua in re etiam Lachmannum textus condicio obscurior in III, 20, 1 sq. fefellit, de qua percipienda optime meritus est Jacobus, qui nulla verborum mutatione scripsit:

‚Unica nata meo pulcherrima cura dolori,
Excludit quoniam sors mea ‚saepe veni';

‚cura' enim h. l. de puella pro causa curae dictum esse, suo loco videbimus. Sed quamquam neque apud poetam ispsum neque apud alios extat exemplum curae vocis pro medicina vel medicamento positae — quid hoc nos inpedit, quominus notione hac pro singulari accepta et pulcherrimam et facillimam eius loci teneamus interpretationem? Etiam de

medicina voce hic agendum est; significat enim apud Propertium et artem medicorum II, 1, 57 et curationem ipsam IV, 16, 4, nec non pro remedio curationi adhibendo ‚medicina' ponitur: I, 5, 28; 10, 18; II, 6, 16; omnibus autem hisce locis ad communem scriptorum usum adplicata est; quod vero legimus:

I, 2, 7 ‚Crede mihi, non ulla tuast medicina figurae',

inusitate posita est ‚medicina' vox pro fuco, artis formae augendae adiumento, quo sensu apud alios ‚medicamen' et ‚medica-

mentum' invenimus, quemadmodum — ut notissimum adferam exemplum — Ovidianum carmen inscribitur ‚Medicamina faciei', de quo idem a. a. 3, 205 sq.:

‚Est mihi, quo dixi vestrae medicamina formae
Parvus, sed cura grande, libellus, opus.'

Mira quoque notione Propertius usurpat vocem:

mundus V, 3, 37 ‚Cogor et e tabula pictos ediscere mundos', ubi idem est ac terra, fines, poetice quidem sed audacissime dictum: non modo enim analogon invenire nequeo, sed etiam plur. numerum vocis ‚mundus' omnino non deprehendi, nisi ubi de Democriti notissima illa disciplina agitur, et apud Lucr. 5, 529:

‚In variis mundis varia ratione creatis'

et apud Cic. acad. II, 17 ‚et ais Democritum dicere, innumerabiles esse mundos', qui vero loci nihil ad illum Propertianum pertinent. Similiter, quamvis non aeque audacter, illud mihi dictum esse videtur, quod legimus V, 6, 49 ‚picti metus'.

quies a Vergilio de sopore letali, sed non nisi additis, quae eam notionem explicent, usurpatur Aen. 10, 745 (qui versus iteratur 12, 309):

‚Olli dura quies oculos et ferreus urget
Somnus'.

Primus autem ac solus Prop. absolute de morte adhibuit eam vocem III, 24, 25:

‚Quod si forte tibi properarint fata quietem'.

Apud primum quoque Propertium de tempore quiescendi, de nocte, dictum idem vocabulum occurrit: ut enim ‚ducere noctem' ipse I, 11, 5; V, 6, 85 ‚trahere noctem' Verg. Aen. I, 752 et alii, ita I, 14, 9:

‚Nam sive optatam mecum trahit illa quietem
Seu facili totum ducit amore diem'

et absolute

I, 10, 1 ‚O iucunda quies, primo cum testis amori
Adfueram vestris conscius in lacrimis',

quod Statius postea recepisse videtur, qui dixit Theb. 2, 145:

‚.... at Inachio tenuis sub pectore regi
Tracta quies, dum mente deos, inceptaque versat
Hospitia, ...'

silv. III, 5, 17 ‚opaca quies' pro ‚opaca nox', Verg. frequentato. Audacius denique est addita metaphora: Prop. IV, 20, 2:

‚Nox mihi prima venit: primae date tempora noctis:
Longius in primo, Luna, morare toro',

ubi ‚primus torus' nihil aliud est nisi illud antecedentis versus ‚prima nox'.

fastus vocem antea rarissimam in poetarum usum induxisse videtur Propertius. Nam, quem ante eum eadem voce usum indagavi, Hor. ep. 2, 93:

‚...... Aspice primum
Quanto cum fastu, quanto molimine circum-
spectemus vacuam Romanis vatibus aedem',

de magnificentia et adrogantia simili sensu ac ‚superbia', ne prosae quidem scriptoribus alieno (Tac. ann. 2, 2; Plin. n. h. IX, 35 (58), 119; al.), adhibuit. Alia vero eiusdem vocis notio inde a Prop. in usum venit, qui ‚fastus' primus inter eas significationes recepit, quas, ad amorem pertinentes, erotici praesertim poetae excoluerunt. Usurpavit enim eam vocem non nisi de puellae vel iuvenis animo amorem abnuente et repudiante. Etenim, quod Horatius dixit c. III, 10, 9 ‚Ingratam Veneri (pone) superbiam', illud idem Propertius vocabulo ‚fastus' significat, nec minorem habes interpretem Ovidium,

fast. 1, 419 ‚Fastus inest pulcris sequiturque superbia formam'.

Eo igitur sensu illam vocem praebet Prop. I, 1, 3; 7, 25; 13, 27; 18, 5; III, 6, 13, coniunxit III, 20, 21 ‚adsumere fastus', IV, 12, 10 ‚gerere fastus', IV, 16, 3 ‚conpescere fastus'. Sequitur autem Ovidius (cf. praeter l. l. met. 14, 161; a. a. 2, 241; al.). Sed longius etiam progreditur Propertius; nam cum

IV, 18, 11 ‚Testis, Cretaei fastus quae passa iuvenci'

‚fastus' prope accedat ad fastidii notionem, aperta repulsae ac fastidii significatio patet:

IV, 25, 15 ‚Exclusa inque vicem fastus patiare superbos',
V, 5, 42 (de Medea:) ‚Nempe tulit fastus, ausa rogare prior';

quibuscum conpares:

Verg. ecl. 2, 15 ‚Nonne fuit satius, tristes Amaryllidos iras
Atque superba pati fastidia? . . . '

Prop. IV, 13, 26 ‚... longae nulla repulsa morae'.

Ut autem ‚fastus' de eo dixit, quod e fastu sequitur, de ‚repulsa', sic

crimen singulariter pro ‚infamia, dedecus' usurpavit:

V, 4, 43 ‚Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
Inproba virgineo lecta ministra foco!'

A primo denique Propertio

series absolute ponitur de liberorum serie:

V, 11, 69 ‚Et serie fulcite genus',

ut Val. Max. II, 7, 5 ‚veteris propinquitatis serie' vel potius Verg. Aen. 3, 98 elegantissime de Aeneae genere:

‚Et nati natorum, et qui nascantur ab illis'.

Accepit idem a Prop. Ovidius, qui pont. III, 2, 109 ‚Digne vir hac serie' et met. 13, 29:

‚Nec tamen haec series in causam prosit'.

Aeque absolute, sed de annorum serie, Auson. epigr. 148:

‚Haec erit aeternae series ab origine Romae'.

Restat ut enumerem nonnulla instrumenta, quorum nomina vulgaribus quidem vocabulis, sed propria unicuique notione indita solus commemorat Propertius:

clavis dicitur instrumentum, quo trochum agitatum esse in ludis gymnasticis, verisimile est:

IV, 13, 6 ‚Increpat et versi clavis adunca trochi'.

Qua de re quid disputaverint viri harum rerum periti, videas in Hertzb. comm. ad. h. l. Deinde

forma dicitur de instrumentis, quibus figuram quandam inprimunt artifices materiae; de eo, quo sutor ad calceos fabricandos utitur, Hor. sat. II, 3, 106; ‚formas' deinde ‚buxeas' in caseis exprimendis adhibebant teste Col. 8, 6; ‚formae' denique ‚in quibus aera funduntur' commemorantur a Plin. n. h. XXXVI, 22 (49), 168, atque ea est notio, quae inest in voce absolute posita a Propertio:

IV, 8, 13 ‚Argumenta magis sunt Mentoris addita formae'.

pila denique nomine varias res induit Propertius. Primum enim de globulo dixit, quo utebantur iudices in suffragiis:

V, 11, 20 ‚Is mea sortita vindicet ossa pila',

quam significationem praeterea tradidit Ascon. in argum. Cic. or. pro Mil. 18. Versu autem

III, 18, 12 ‚Et manibus dura frigus habere pila'

crystallinas fortasse sphaeras intellegere licet, quibus aestu manus refrigaverint mulieres, quamquam e Martial. V, 37, 11; XI, 8, 6 et Plin. XXXVII, 2 (9), quos adferunt, locis nihil certius de eo usu conperimus. Sed aperte

V, 1, 76 ‚Nescius aerata signa movere pila'

‚aerata pila' dicitur machina ex aere in sphaerae speciem fabricata, in qua signa caelestia fixa circumagebant astrologi. Quod et adparet e Prop. ipso et conprobatur plurimis aliis testibus ab Hertzb. in comm. ad h. l. congestis.

Adiectiva

novis participii forma fictis aucta esse a Prop. supra (pag. 20) vidimus. De participiorum nunc adiective usurpatorum usu a poeta amplificato primo loco disserere in animo est. Atque duplici modo hoc factum est a Propertio: Primum enim novo more omnino adhibuit participia adiectivo sensu, deinde vero eorum, quae iam in adiectivorum usum erant recepta, notioni praegnantem, quam vocant grammatici, vim subdidit: quod quidem in veris adiectivis vulgarius est, in eis autem, quae sunt participia, minus libenter admittit sermo.

Ac praesentis participium solus pro adiectivo posuit:

scandens ex intransitivo scilicet verbi scandere sensu, eadem notione atque ‚excelsus, altus':

V, 1, 65 ‚Scandentes quisquis cernet de vallibus arces'

et eiusd. carm. v. 125:

‚Scandentisque Asisi consurgit vertice murus';

cui addendum est, quod in simili argumento itemque singulariter adhibuit,

fugiens V, 6, 15:

‚Est Phoebi fugiens Athamana ad litora portus',

i. e. recedens aut secedens, ut Verg. Aen. 1, 159

‚Est in secessu longo locus; insula portum
efficit' eqs.

et quasi se subtrahens; cf. Prop. III, 1, 17

‚Et siqua extremis tellus se subtrahit oris.'

Ceterum de mira Propertii in regionibus similibusque describendis ratione suo loco nobis disserendum erit.

reverens apud omnes fere, qui adferunt, redolet participium: omnes enim cum casu, Cic. cum acc., ceteri postea cum genitivo plerumque, coniungunt. Primus Prop. absolute idem posuit plane pro adiectivo ‚verecundus':

III, 28, 33 ‚Nec tu virginibus reverentia moveris ora',

neque iterum occurit ita positum nisi Plin. ep. 8, 21 ‚Illud modestius, et fortasse reverentius, sed hoc simplicius et amantius.'

patiens iamdudum in adiectivis habitum primus Propertius absolute pro ‚durus' adhibuit I, 16, 29, ubi de puella amorem abnuente:

‚Sit licet et saxo patientior illa Sicano,
Sit licet et ferro durior et chalybe'.

Ex analogia percipias sensum: pati enim et ferre eorum est, quorum pectus non mollescit. Sequitur cautius

Ov. am. I, 15, 31 ‚Ergo cum silices, cum dens patientis aratri
Depereant aevo, carmina morte carent.'

Perfecti participium unus adiectiva vi adhibuit:

elatus I, 15, 21 ‚Coniugis Euadne miseros elata per ignes
Occidit'.

Retinendam esse hanc omnium codd. scripturam et minime opus esse coniecturis e falso vocis ‚elata' intellectu ortis, omnes nunc consentiunt viri docti; ‚elata' enim non de funere et de exsequiis accipiendum est — quae interpretatio etiam Lachmannum, ut ‚ablata' corrigeret, perduxit — sed de fanatico errore, quo Euadne mortem sibi conscivit. Quod autem Hertzb., sic in variis mentis perturbationibus ‚efferri' verbum usurpari, lexicis abunde

doceri ait, non satis accurate vidit vir doctus: omnibus enim locis, ubi ‚efferri' vel ‚elatus' legimus hoc sensu positum, cum significatione eius affectus — ablativo casu — coniunctum est, ex quo animi motus nascitur. Sed hic ‚elata' absolute positum est adiectivorum more et aequat fere ‚magnanima'; cuius usus vix alterum invenies exemplum.

Eodem modo absoluta leguntur:

ictus IV, 7, 14 ‚Seu sequitur medias, Maenas ut icta, vias';

quamobrem ‚acta' correxerunt Itali. ‚icta' autem hic dicitur pro ‚furore icta, insana' vel, si poeticam praeferas explicationem, Ov. a. a. 2, 580

‚Fertur, ut Aonii cornibus icta dei'.

expensus de gradu dicitur arte conposito et muliebri segnitie lento:

II, 4, 16 ‚Ibat et expenso planta morata gradu'.

Quod quidem non conparari potest, ‚suspenso gradu' habet Ter. Phorm. 867, ‚suspendere gradum' Sen. nat. qstt. 7, 31, alii, ‚expensus gradus' praeter Prop. nemo. Quapropter cum Passeratio alii ‚extensus' corrigere proposuerunt, quod cum apud alios saepe, tum apud Ovid. legitur a. a. 3, 302

‚extensos fertque superba pedes';

sed longe alia est sententia Propertiani dicti, ad quam cf. Petron. 126 ‚incessus tute compositus et ne vestigia quidem extra mensuram aberrantia'.

astrictus III, 17, 18 ‚ . . . . quod te
Astrictus ploret saepe dedisse pater'

adiective pro ‚parcus' vel ‚avarus' non modo a primo Propertio adhibetur, sed etiam a solo de personis absolute dicitur, de homine in sumptibus parco. Ceteri, qui adhibuerunt, de abstractis idem posuerunt, ita ut participii vis non plane evanuerit: Val. Max. II, 10, 8 ‚astricti continentia mores', ubi ablativo addito participii vis magis perlucet, nec minus aperte Iustin. 44, 2 ‚astricta parsimonia.' Proxime ad Propertianam vocis notionem absolutam accedit Tac. ann. 3,55 ‚Praecipuus astricti moris auctor Vespasianus fuit' h. e. parsimoniae. Conparaverunt Cic. fam. 3, 8 ‚astrictus homo'. Sed ibi legendum esse nunc constat ‚restrictus',

quod adiectivum ea sententia vulgare fuit. De abstractis etiam adhiberi solet

praeteritus et ab aliis et a Propertio; de tempore autem praecipue, ut de morte III, 6, 9, de iuventute IV, 10, 7. Audacius tamen est, quod dixit:

I, 13, 27 ‚Nec tibi praeteritos passast succedere fastus',

ubi procul dubio significat ‚priores, veteres'; nam, quando quid praeteriit, non amplius humanae est voluntatis inpedire, ne succedat. Solus autem de hominibus usus est ea voce:

III, 5, 36 ‚Fas est praeteritos semper amare viros',

q. e. viros defunctos, mortuos, quo plane sensu Graeci ‚οἰχόμενος' et ‚παροιχόμενος' adhibent.

Adiungenda sunt duo perf. participia adiectivorum more posita, quibus singularem obtruserunt notionem interpretes, quae tamen proprio ex sensu recte intelleguntur. Sed cum sint obscuriora, explicatione egent.

acceptus explicant pro ‚mutuus' positum:

I, 4, 16 ‚Hoc magis accepta fallit uterque fide'.

Sed iure mihi videntur haesisse Heinsius, Marklandus et novissimo tempore I. Weidgen (Quaestt. Propp. I p. 3 progr. gymn. Confluent. 1881), qui recte monet ‚Nam non eo quod accipit, sed quod ipse dat fidem et servat, uterque invidi expectationem frustratur. Neque continuo accepta fides pro mutua est;' eqs. Tamen coniecturis, quarum dant Heinsius ‚asserte', Markl. ‚adducta', Weidg. ‚ecce pia' non opus esse mihi videtur, sed optime codd. ‚accepta' stare existimo, si vulgari notione pro ‚gratus' interpretamur. Quod quidem magnopere commendari videtur versu:

II, 9, 43 ‚Te nihil in vita nobis acceptius unquam',

ad q. cf. I, 2, 31 ‚His tu semper eris nostrae gratissima vitae'.

Non minor disceptatio est in interpretando

cautus V, 11, 86 ‚Sederit et nostro cauta noverca toro'.

Aut enim ‚cauta' pro cavenda positum esse declarant, aut si pro adiectivo accipiunt ‚fallax et invidiosa privignis' declarant, Heinsius prorsus ex eadem fere sententia ‚torvus' emendandum esse credidit. Nec felicius Hertzb. Dorvill. ad Chariton. p. 682 explicationem, ‚cautam novercam' uxorem curiosam et providam

esse, quae domui toroque mariti diligenter prospiciat, e Corneliae modestia et libero ab invidia animi candore defendere conatus est. Immo cautam novercam eam intellego, quae, cum in differentia versetur, utrum invisa sit prioris feminae liberis necne, ita eis se praebet, ut neque offendat neque nimis grata adpareat, quomodo nobis ‚zurückhaltend', Francogallis ‚réservé'. Quae vocis explicatio etiam vindicatur insequenti disticho:

‚Conjugium, pueri, laudate et ferte paternum:
Capta dabit vestris moribus illa manus'.

Adiectivorum deinde notionem nonnunquam ita mutari a scriptoribus, ut, in quibus inest activa quaedam vis, passivo sensu adhibeantur, vel, quae passive usurpari solent, activam significationem praebeant, nemo nescit. Sed quantum ei usui morem gesserit Propertius, una voce demonstretur, cuius notionem eo modo iam Cicero, Verg., al. verterunt. ‚Caecus' enim adiectivum principali vi activa de eo, qui videre nequeat, tribus tantum locis (III, 6, 17; 15, 20; V, 8, 47), de eo autem, quod conspici non possit, usus est I, 19, 8; II, 4, 20; III, 7, 11; 23, 6; IV, 13, 32; V, 8, 5, ubi ‚caecus' idem est atque ‚obscurus' aut ‚abditus'. Sed hoc, quamvis frequentius, tamen commune habet cum prioribus. In primo vero Propertio mutatam hunc in modum legimus notionem adiectivi:

surdus, de eo dictum, quod non audiatur, pro ‚mutus'[1]

V, 3, 53 ‚Omnia surda tacent',
5, 58 ‚Istius tibi sit surda sine aere lyra',

ut postea Iuv. sat. 7, 71 ‚surda bucina', Stat. silv. I, 4, 19 ‚surda plectra'. Translate de carminibus:

I, 7, 18 ‚Flebis in aeterno surda iacere situ'.

Praeter eos, quos laudavi, eandem adiectivi notionem exhibent Ovid., Silius, Quintil., Plin., quos non ex Propertio eam sententiae mutationem recepisse, sed idem fecisse, quod ille antea,

---

1. cf. Kuttnerum l. l. p. 43 sq. Qui vero inter huius notionis exempla recipere non debuit:

V, 5, 48 ‚Ianitor ad dantes vigilet: si pulsat inanis,
Surdus in obductam somniet usque seram',

ubi vulgarem notionem praeberi patet.

liquet; nempe quam sermo admisit licentiam arripuerunt. Tamen, quae primus Propertius praestitit, ad eius elocutionem cognoscendam valent. Quare etiam h. l. commemoremus:

artifex adiective a primo Prop. passivo sensu usurpatum:

III, 29, 8 ‚Quattuor artifices, vivida signa, boves',

h. e. egregia arte elaboratae. Quam notionem etiam postea fuerunt, qui adhibuerint, nemo autem, ut Propertius, de vero quodam artificio, sed quasi translate omnes, ut Pers. 5, 40 de vultu, Quint. 9, 4 de motu, Plin. X, 29 (43), 85 de argutiis, al. sim. VIII, 60 (61), 150; XII, 25 (54), 115; Solin. denique 35 ‚artifici plaga'.

Sed etiam singulare quoddam huius generis protulit:

adsiduus adiectivum et apud alios semper et apud ipsum permultis locis active dictum, pro ‚frequentatus' posuisse mihi videtur IV, 15, 26:

‚Di faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
Qua facit adsiduo tramite volgus iter'.

Nam ‚trames' vocem hic pro cursu positum esse, ne lexicis credas, insequens monet brevis versus:

‚Me tegat arborea devia terra coma'.

Ne in ‚vulgi semita' (quomodo loquitur III, 17, 1) sese sepeliat, admonet Cynthiam Propertius, quare optime se habet et inesse debet in illo versu publicae viae distincta commemoratio; sin autem de ‚itu redituque' (Pass.) accipias ‚trames' vocem, et abundat propter antecedentis versus, ‚terra frequenti' illud ‚adsidua tramite' neque analogia vindicatur unius Vergiliani exempli:

Aen. 5, 609 ‚Illa, viam celerans per mille coloribus arcum
Nulli visa, cito decurrit tramite virgo',

ubi non minus quam in Propertiano loco ambigui sunt interpretes, utrum propria sententia accipiant ‚trames', an translato illo sensu inaudito.

Usitatior etiam apud poetas est ea adiectivorum notionis mutatio, qua activa vis efficitur, ut felix, beatus, dives, al. in Prop. de eis, quae fortunam ac divitias praebent. Rarioris autem usus inveni haec:

tremulus de eo, quod tremorem inicit:

I, 5, 15 ‚Et tremulus maestis orietur fletibus horror',

ad q. l. cf. Verg. Aen. 3, 29 sq.

‚. . . . . Mihi frigidus horror
membra quatit . .'

V, 7, 73 ‚Nutrix in tremulis nequid desideret annis'.

Unus, atque in versione quidem Arati 68, Cicero eadem mutatione usus est:

‚Tum fixum tremulo quatietur frigore corpus'.

pallidus de morte, quae pallorem iniciat, iam Hor. c. I, 4, 13 antea, postea Sen. Herc. f. 555 adhibuerunt, audacius vero Prop.

V, 7, 36 ‚Sensi ego, cum insidiis pallida vina bibi',

vina sc. veneno mixta, e quibus bibit Cynthia cum morte pallorem, quo in argumento Tibullus

I, 8, 17 ‚Num te carminibus, num te pallentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus?'

Lucanus iterum 4, 322 ‚aconita pallida'.

tumidus a Vergilio, Ovid., al. de ventis dictum accipiunt pro ‚qui tumescere faciant.' Sed, cum nihil usquam additum sit, quo, quid illi tumefecerint, intellegas, de ventis ipsis tumentibus interpretari mallem coll. Verg. Aen. 3, 157; 8, 671, Prop. IV, 8, 35 ‚tumidum mare.' Certe autem activo sensu translate adhibitum est a Prop. III, 19, 15

‚Qui nunc se in tumidum iactando venit honorem',

i. e. qui iactantia sua Cynthiae copiam adeptus est, qui honor etiam magis gloriosum eum reddit.

lentus, de cuius adiectivi usu mox amplius dicemus, notionis genere mutato activam habet vim apud solum Prop.

V, 1, 100 ‚Et facerent uteri pondera lenta moram',

q. e. quae gravitate lentos ac tardos reddunt ferentes.

Simili modo explicari potest

siccus a primo Prop. usurpatum de sideribus, quae, quando clara et nube libera conspiciuntur, aëris siccitatem indicant. Sic de Canem quod vocant sidere:

III, 24, 4 Incipit et sicco fervere terra cane',

ad q. cf. Tib. I, 4, 6:

,Nudus et hibernae producis frigora brumae,
Nudus et aestivi tempora sicca Canis'

et de luna Prop. III, 9, 15:

,Nec licet in triviis sicca requiescere luna',

cuius postea unus praebuit exempla Plinius XVII, 9, (8), 57; 14, (24), 112. Induuntur igitur sidera vi siccandi, cum tamen nihil nisi testes siccitatis sint.

Subiungenda sunt huic mutationis generi etiam duo haec:

docilis est is, qui bene doceri potest, qui facile discit, translate etiam de rebus dicitur eodem sensu. Unus Prop. de eis quoque rebus eadem voce utitur, quae facile discuntur, faciles igitur sunt ad capessendum:

V, 2, 63 ,Qui me tam dociles potuisti fundere in usus',

Ciceronem fortasse secutus, qui eundem in usum, contrario nimirum sensu, ,indocilis' adhibet acad. 4, 1 ,indocilis disciplina'. Eadem adiectivi ,docilis' notio occurrit apud Cael. Aur. chronia V, 11, 132 ,docilis sermo.' Sed etiam

indocilis singulari significatione extat apud Prop. Quod adiectivum varie usurpatum passim apud alios scriptores invenimus et de eo, qui docet, et de re docenda apud Cic. l. l., nec non de eo, qui docetur; pro ,indoctus' idem quoque poni, nemo nescit. Audacter autem et, quantum video, singulariter Prop. hac voce usus est I, 2, 12:

,Et sciat indociles currere lympha vias',

h. e. non doctas, non monstratas, nulla arte paratas. Prope quidem accedere illud Ovidii fateor trist. IV, 1, 5:

,Hoc est cur cantet vinctus quoque compede fossor
Indocili numero cum grave mollit opus',

sed, quod saepius videmus, vi singularis et novi usus minuta, cum etiam ,rudes, ineruditas' intellegi possit, quo sensu apud alios quoque haud raro ,indocilis' invenitur.

Tum numerandi et metiendi adiectiva saepe a veteribus confundi in comm. ad V, (IV), 1, 23 Hertzb. observavit et aliorum scriptorum exemplis satis confirmavit, dummodo Propertium accuratius excussisset. Nam praeter ea, quae adtulit, etiam eorum,

quae aliis testimoniis probat, exempla extant in Propertio. Sic quod e Val. Flacc. 5, 274 ‚magna milia' exhibuit, cuique addidit Hor. sat. I, 6, 4 ‚magnae legiones', melius autem comparavisset Plaut. Bacch. 1034 ‚sexcenta tanta', ipse Prop. praebuit:

I, 5, 10 ‚At tibi curarum milia quanta dabit!'

Nota etiam dictio ‚longa dies' pro multis diebus, longo tempore non e Tib. I, 4, 17, Iuv. 10, 295, al., sed praecipue e Prop. firmari debuit, qui III, 10, 20:

‚Ipsa anus haud longa curva futura die.'

Ut autem h. l. ‚longa — die' pro longa dierum serie, sic, ad quod omnis haec quaestio tendit, satis audacter dictum est:

III, 5, 3 ‚Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa'

pro ‚multa imagine' (cf. ‚multa arbor' V, 4, 4) i. e. multis imaginibus' aut ‚longa imaginum serie.'

Ut igitur certa genera mutandae notionis praecipue coluit Prop., ita nonnulla adiectiva, quae cum amaret, varios in usus mutata significatione adhibuit. Et mirus ac saepissime novus usus est adiectivorum horunce:

argutus proprie ea significare solet, quae aures nostros aliquo sonitu percellunt, qua notione hoc adiectivum de avibus cum Verg. ge. 1, 377, ecl. 9, 36, Mart. XI, 18, 5, aliis adhibuit Propertius:

I, 18, 30 ‚Cogor ad argutas dicere solus aves'.

Transfertur autem ad homines cantantes et res sonantes saepenumero. Solus vero Prop. ‚argutus' ea notione cum abstracto coniunctum poetica cum audacia posuit:

I, 18, 26 ‚Omnia consuevi timidus perferre superbae
Iussa neque arguto facta dolore queri',

ubi mirum in modum peccant, qui ‚ingeniose simulatus' explicant: nam, mutum se perferre dolorem a Cynthia sibi iniectum aperte profitetur neque intellego, quomode quis Propertii dolorem, e Cynthiae levitate ortum, fictum fuisse crediderit. Attamen lexica eam praebent loci interpretationem. Melius rem perspexit Passeratius, qui ‚querulos' interpretatur et Cic. locum adtulit, ad Att. 12, 41, 2: ‚Scis quam sit φιλαίτιον συμφορά'. Hoc igitur mihi videtur, querendi vim cum soni notione coniunctam inesse

h. l. in adiectivo ‚argutus' quemadmodum quoque in ‚querulus.' Similiter I, 16, 16 porta de amatore in limine iacente et, ut admittatur, orante loquitur:

‚Ille meos nunquam patitur requiescere postes
Arguta referens carmina blanditia',

ubi, utrum ad Kuinoelii ‚subtilis et ingeniosa' interpretationem accedam, an cum Passer. ‚garrula', notione a solo praeterea Plauto (Trin. 200; Truc. 493) praestita explicem, incertus sum. Utrumque enim blanditiae est, et sagacitas et loquacitas; tamen cum portae in supplicis sermonibus magis haec quam illa sit molesta cumque nusquam illa notione Propertium uti visuri simus, garrulitatis notionem praevalere credam, nisi potius etiam hoc in loco utrumque inesse censeas, quod quidem iudicium probari videtur persimili dicto:

I, 6, 7 ‚Illa mihi totis argutat noctibus ignes',

quo de versu videbimus postea.

Cum ‚argutus dolor' conparant et maiore etiam iniuria eodem modo explicant:

IV, 20, 18 ‚Et caput argutae praebeat historiae';

‚lepidae, venustae' Kuinol. Sed garrulum dici populi rumorem, cuius fabulis loquacibus differantur amantes, nemo non videbit, qui eum locum tantum inspexerit. Adaequat igitur potius h. l. notio eam, de qua diximus, ‚arguta blanditia.' Restat ut, quae sit notio in

II, 3, 24 ‚Non tibi nascenti primis, mea vita, diebus
Ardidus argutum sternuit omen Amor?'

(de cuius versus condicione diximus pag. 11 sq.) definiamus. Pro ‚perspicuus, haud dubius, haud ambiguus' dictum putant e Cic. div. 2, 12 fin. ‚argutissima exta.' Nec negarem, nisi, cum de omine sternendo dato agatur, propria adiectivi notio ‚sonorus' bene se haberet.

Valde porro placuisse videtur Propertio adiectivum, quod est **lentus.** Variis enim et usitatis et novis ab eo frequentatur notionibus, in quibus tamen omnibus principalis inest perseverandi vis. De terra frigore dura, cui opponitur ‚putris':

V, 3, 39 ‚Quae tellus sit lenta gelu, quae putris ab aestu.'

De loris tenacibus, ubi, ‚fragilis' opponere possis:

V, 10, 22 ‚Praebebant caesi baltea lenta boves'

ut ‚lenta vitis' ecl. 3, 38, ‚lentum vimen' ge. 4, 34 Verg.

Usurpatur deinde de eis, quae tarde moventur, ut de aquis Stygiis:

V, 11, 15 ‚Damnatae noctes et vos vada lenta paludes',

quomodo Verg. Aen. 7, 28 de aequore plano ‚lento marmore', Hor. c. II, 14, 17 ‚ater flumine languido Cocytus'. Ov. met. 4, 434 ‚Styx iners'. Hac quoque notione epitheton est pastoris:

V, 10, 29 ‚Nunc intra muros pastoris bucina lenti
Cantat',

quocum non erat conparandum ab interpretibus

Verg. ecl. 1, 4 ‚Nos patriam fugimus: tu Tityre, lentus in umbra
formosam resonare doces Amaryllida silvas',

ubi de otiosa securitate intellegi debet: sed pastor a Prop. solo ‚lentus' adpellatur, qui lento gradu lentas oves ducat, ut Verg. ecl. 10, 19 ‚tardi bubulci' utque

Prop. V, 7, 30 ‚Iussisses lectum lentius ire meum'.

De ingenii tarditate ‚lentus' dicitur ac significantur eo adiectivo ei, quorum animus vel haud facile vel omnino non movetur aliquo inpulsu. De amore quoque usurpatur, ut

Tib. I, 4, 81 ‚heu heu quam Marathus lento me torquet amore!'

et de Amore puero idem I, 10, 58:

‚Inter et iratum lentus utrumque sedet'

itidemque IV, 11, 6:

‚Nostra potes lento pectore ferre mala?'

Quem usum arripuit Propertius, et, quam probe excoluerit, et copia monstrabit exemplorum et audacia, qua eum propagaverit. Nam cum Tibullus, aperti et casti sermonis amans, ll. ll. aut de amore aut de pectore, amoris sede, ‚lentus' adhibeat, uno tantum loco de ipsa puella usurpet pro ‚durus':

II, 6, 36 ‚Illius ut verbis, sis mihi lenta veto',

Propertius absolute ‚lentum' eum adpellat, qui aut tardiorem neque satis paratum aut languidiorem neque ardentem se praebet in amore; atque tardiorem:

I, 15, 4 ‚Tu tamen in nostro lenta timore venis',

q. e. nil quidquam meis curis mota, sed frigida, ut quoque

III, 6, 14 ‚Nec mihi ploranti lenta sedere potest',

neque aliam vocis notionem intellegendam esse

ibidem 22 ‚Mecum habuit positum lenta puella caput',

antecedens, quo ‚lentus' aperte declaratur, docet versus:

‚Pulsabant alii frustra dominamque vocabant'.

Languidiorem autem et frigidum in amore significat (aperta, cum amandi verbum addatur, sententia):

I, 6, 12 ‚A pereat, si quis lentus amare potest!'

deinde III, 7, 8 ‚. . . . et dixit ‚siccine, lente, iaces?'

IV, 23, 12 ‚Irascor, quoniam's lente, moratus heri';

III, 31, 25 autem, ubi Cynthiam adpellat:

‚Lenta bibis: mediae nequeunt te frangere noctes',

duplici modo accipi potest ‚lenta': declarari potest insequenti ‚mediae nequeunt eqs.', ita ut significet ‚infragilis', de quo sensu supra vidimus, melius autem de amore interpretamur ex antecedenti versu:

‚Non audis et verba sinis mea ludere . . . .'

IV, 7, 20 denique:

‚Non est certa fides, quam non iniuria versat:
Hostibus eveniat lenta puella meis'

ea puella lenta dicitur, quam iniuria ab amatore inlata, ut irascatur, non commovet.

Tum ‚lentus' de eis dicitur, quae in aliquo motu longe durant, atque ante Prop. a Tibullo:

I, 3, 82 ‚Optabit lentas et mihi militias',

ubi tamen tardandi extra modum notio subauditur; primus autem Propertius plane pro ‚longus' posuit:

V, 4, 10 ‚. . . . . tubicen vicina Curetis
Cum quateret lento murmure saxa Iovis',

q. e. longo et producto tubae sono. Sequitur autem Ov. rem. am. 243:

‚Nec satis esse puta discedere: lentus abesto',

her. 2, 9 ‚Spes quoque lenta fuit: tarde quae credita laedunt,
Credimus . . .'

Eadem e notione explicare cogitaveram locum ad interpretationem difficillimum:

IV, 12, 37 ‚Pinus et incumbens lentas circumdabat umbras',

pro ‚diuturnus' hic adiectivum positum esse ratus, de umbris scilicet diu morantibus. Plinius autem meliorem docuit me declarationem, qui n. h. XVI, 10 (16), 38 ‚pinus atque pinaster folium habent capillamenti modo praetenue longumque et mucrone aculeatum'. Cum igitur folia, etiam umbrae tenues et minus validae sint necesse est. Et eam adiectivi ‚lentus' notionem, singularem quidem, sed ab universa eius vocis sententia non abhorrentem conprobare videtur versus non minus illo altero vexatus

I, 18, 21 ‚A quotiens teneras resonant mea verba sub umbras',

cuius traditam scripturam iure defendit Hertzb., qui tamen male interpretatus est, ‚umbras' pro arboribus ipsis umbrosis positum esse: minime enim arborum frondes continuo sunt tenerae et de iucundo in silvis crepusculo certe utroque loco cogitavit poeta, ita tamen, ut altero e iucunditate ‚levis umbrae' (Tib. II, 5, 96; Ov. met. 5, 336) ‚teneras' dixerit, altero e tenuitate, fronde gracili orta, ‚lentas' adpellaret umbras, nova notione subdita ei adiectivo, quod, quia amabat, varie adhibuit.

Hertzbergii, qui ‚lentas umbras' pro pendentibus pini ramis umbrosis accipit, iudicium pini ipsius figura refutatur, de qua Plin. XVI, 26 (44), 107 ‚Nec ulla arborum avidius se promittit' et ibid. 10 (17), 39 ‚ramosa sicut pinus in vertice'. Quomodo igitur ramis suis ‚circumdare' potuerit amantes? ‚laetus' et ‚latas', Italorum coniecturae, non sunt necessariae aeque ac Baehrensii emendatio ‚lentis' sc. amantibus otiosis nimirum et securis, quae adiectivi notio e Verg. quidem (ge. 1, 4 supr. l.), minime autem e Prop. vindicari potest; nam, quo sensu hic de amantibus ea voce usus sit, satis vidimus.

Restant denique duo loci, alter, ubi praegnanti vi absolute ponitur:

II, 3, 38 ‚Nunc, Pari, tu sapiens et tu, Menelae, fuisti,
Tu quia poscebas, tu quia lentus eras',

scilicet cum de Helena agatur, lentus in restituenda puella, alter, ubi active V, 1, 100, de quo supra (pag. 57) dictum est.

Mirus etiam usus est Propertii in adiectivo

antiquus, cuius propriam notionem, qua ea significantur, quae prioribus fuerunt temporibus, absolutam semel tantum adhibuit:

III, 32, 56 ‚Nullus et antiquo Marte triumphus avi',

q. e. bellis antiquitate gestis. In aliis exemplis ubique alteram notionem adiunctam sentimus; sic:

III, 28, 15 ‚Illorum antiquis onerentur legibus aures',

ubi severitatis notio subest, et

III, 30, 54 ‚Et post antiqui Deucalionis aquas',
20, 35 ‚At si saecla forent antiquis grata puellis',

ubi severos priscorum hominum mores significat. Cum autem, quae antiqua essent, clara plerumque et insignia haberentur, saepius ‚antiquus' continuo idem significat atque ‚antiquitate nobilis', quam notionem invenimus inde a Verg.; atque quidem Aen. 1, 531; 3, 164 de Hesperia, 12, 540 de Priverno, Latii urbe, adhibitam; Propertius:

I, 19, 10 ‚Thessalis antiquam venerat umbra domum'

et

II, 1, 29 ‚Eversosque focos antiquae gentis Etruscae',
V, 1, 121 ‚Umbria te notis antiqua Penatibus edit'.

Altero autem et tertio loco cum caritatis sensu dictum est ‚antiquus' et Propertii erga patrias regiones pietatem simul exprimere videtur. Quae vero notio etiam magis elucet, cum de personis per epitheton quasi adhibetur idem adiectivum, quod nescio an a solo factum sit Propertio. Legitur autem:

II, 3, 21 ‚Et sua antiquae conmittit scripta Corinnae'.

Mirum in modum etiam deo a Prop. idem inditum est epitheton atque quidem summo Iovi:

III, 28, 28 ‚Et canere antiqui dulcia furta Iovis',
V, 4, 2 ‚Fabor et antiqui limina capta Iovis',

quorum alterum versum male Passer. ita explicat, ut ‚antiquus Iuppiter' dictum sit pro vetere Capitolio!

rarus a iuniore Propertio libenter usurpatum fuisse videtur,

nam in libris quinto et primo novies occurrit, in ceteris tribus modo bis invenitur. Atque vulgaris eius usus est: V, 3, 53; 4, 77; 5, 71; 8, 4; I, 3, 27; 20, 24; III, 12, 13; 32, 4; absolute autem praegnanti cum vi positum est:

I, 8, 42 ‚Quis ego fretus amo: Cynthia rara meast.'

et de eadem Cynthia:

I, 17, 16 ‚Quamvis dura, tamen rara puella fuit',

q. e. singularis puella, quia

‚non est illa vagis similis collata puellis'

(I, 5, 7), sed egregia et corporis et animi dotibus, de quibus cf. el. I, 4, quodque Ov. met. 14, 337 praedicat:

‚Rara quidem facie, sed rarior arte canendi.'

Sed vides, quanto cautior hic illo, quomodo quoque

her. 17, 93 ‚Est quoque, confiteor, facies tibi rara'.

Minus etiam apertus est eiusdem adiectivi praegnans usus:

V, 11, 52 ‚Claudia, turritae rara ministra deae',

ubi intellegas oportet: ‚rarum in modum a Cybele amata', dictum quidem audax et subobscurum, attamen vere Propertianum, quare reicienda est Heinsii emendatio ‚cara' a Broukh. probata et recepta.

Sic inter significationes ad amorem tendentes etiam alia adiectiva praegnanti notione praedita recepit:

potens enim usitato sensu V, 1, 35 ‚Alba potens', IV, 22, 21:

‚Nam quantum ferro tantum pietate potentes
Stamus'

adhibuit. De Cynthiae autem pulcritudine et venustate victrici:

II, 5, 28 ‚Cynthia forma potens, . . .',
IV, 19, 7 ‚Est tibi forma potens';

quibus cf. IV, 9, 17 ‚qua polles, — forma.' Quo in usu sequitur

Ov. a. a. 3, 258 ‚Est illis sua dos, forma sine arte potens',

ad quem apte quoque conpares Prop. III, 27, 30.

Sed, ubi absolute idem adiectivum posuit:

III, 22, 2 ‚Nunc admirentur quod tam mihi pulchra puella
Serviat et tota dicar in urbe potens',

idem significat ac Catull. 100, 8:

‚Sis felix, Caeli, sis in amore potens'.

Nec minus eum in usum induxisse videtur:

rudis, quod adiectivum de aliis adhibuit III, 22, 39; IV, 22, 13; 21, 17; V, 1, 27; 131, de amore autem, atque primum quidem aperta, amoris vocabulo adiecto, sententia:

I, 9, 8 ‚Atque utinam posito dicar amore rudis'

et, ubi contrarium simul adponitur,

III, 32, 82 ‚Sive in amore rudis sive peritus erit';

addi quoque potest:

II, 6, 30 ‚Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos
Nequitiaeque suae noluit esse rudes.'

Idem autem praegnanti sensu solum adiectivum significat:

IV, 14, 5 ‚Illa rudes animos per noctes conscia primas
Imbuit heu nullis capta Lycinna datis',

IV, 16, 7 ‚Te quoque enim non esse rudem testatur in astris
Lyncibus ad caelum vecta Ariadna tuis',

V, 3, 12 ‚Cum rudis urgenti bracchia victa dedi.'

Alterum imitando (Prop. IV, 14, 5) recepit Ovidius fast. 4, 97 (de Venere):

‚Illa rudes animos hominum contraxit in unum',

adde fast. 4, 336, alterum, ut mihi quidem videtur, nemo: nam quod huc referunt nonnulli,

Mart. IV, 95, 8 ‚Hoc me frigore basiet nec uxor
Blandis filia nec rudis labellis',

nihil habere puto, cur de amore nec potius, ut saepissime fit, omnino de iuventute inperita accipiamus ‚rudis' adiectivum.

agrestis denique vulgari sensu, item atque ‚rusticus', ea significat, quae in agris sunt, aut homines:

IV, 12, 25 ‚Felix agrestum quondam pacata iuventus',

et quae eorum hominum sunt:

III, 12, 14 ‚Haedus ubi agrestes corruet ante focos',

aut bestias:

III, 12, 22 ‚Aut celer agrestes comminus ire sues',

q. e. feras. Inde processit poeta in adhibenda voce, ut omnino eam poneret pro ‚ferinus':

III, 31, 13 ‚An, quoniam agrestem detraxit ab ore figuram',

quod solus imitando recepit Ovidius

met. 9,95 ‚. . . . . vultus Achelous agrestes
Et lacerum cornu mediis caput abdidit undis;'

eodemque modo

pampineus adiectivum a pampino, vitis fronde, derivatum, quod vulgari usu aut de eis dicitur, quae ad eam frondem pertinent, aut de eis, quae eadem sunt tecta, plena vel ornata, ut Prop. IV, 16, 26

‚In vada pampinea desiluisse rate',

plane pro ‚vineus' audacter poeta posuit:

III, 31, 30 ‚Pampineus nosti quam sit amarus odor',

ubi vini, non vitis odorem significari sententiarum connexu patet.

Verba

nunc cum nobis sint tractanda, ut ab usitatis mutandae notionis generibus exordiar, primo loco nonnulla sunt proferenda et intransitiva, quae transitive, et transitiva, quae intransitive adhibuit Propertius.

degenerare communi optimorum scriptorum usu est ‚a generis natura discedere.' Primus Propertius transitivorum more idem adhibuit:

V, 1, 79 ‚Di mihi sunt testes non degenerasse propinquos',

q. e. degenerando polluere; sequuntur autem Ovidius eadem notione servata pont. III, 1, 45 ‚Hanc cave degeneres'; adde met. 7, 543; postea Stat. silv. III, 1, 160 ‚degenerare honorem'. Amplius etiam processit Col. 7, 12, 11: ‚Venus . . . . . carpit vires, animosque degenerat', cui cf. Sol. 17, 11. Eodem modo mutatum esse a Prop. sensum putabant verbi

dolere I, 16, 24:

‚Me mediae noctes, me sidera prona iacentem
Frigidaque Eoo me dolet aura gelu.'

‚dolere aliquem' saepissime quidem positum videmus pro ‚deplorare alqm.', pro ‚dolorem alicui ingerere' nusquam: unus tantum Prop. locus dubitationem movit interpretibus, an fortasse hic ‚dolere' pro ‚afficere dolore' dictum esset, et ea versus interpretatio in lexica inrepsit. Tamen, tantum ausum esse Propertium, ne credamus, praesertim cum iusta versus interpretatio vulgarem evincat verbi notionem. Nam insequens versus

‚Tu sola humanos nunquam miserata dolores'

contrarium inesse in antecedentibus versibus indicat. Atque inest profecto, dummodo intellegas: noctem, sidera, auram Eoo gelu frigidam miseret mei, tu sola, porta, misericordiam non sentis. Quod autem Hertzb., qui ipse eam interpretationem vindicat, ‚Mirari', ait, ‚subit, unde amator cognoverit, noctem et sidera et auram frigidam suam vicem dolere' et ad insaniam queribundi hominis confugit: eodem vel maiore iure miratus esset vir doctus de amatore portam adloquente et, ut sibi faveat, precante vel potius omnino de Propertio, qui portam loquentem finxerit. Hac ratione scrutari de poeta est absurdum, ne dicam ridiculum!

Transitivorum more e vulgari usu adhibetur verbum: **deflere**, nec defuerunt, qui idem intransitive usurpari posse omnino negaverint. Quare versum

I, 16, 13 ‚Has inter gravibus cogor deflere querelis'

coniecturis vexaverunt, quarum Lachmanni ‚Has igitur eqs.' et Kochii (symb. phil. Bonn. i. h. Fr. Ritschel. p. 322) ‚Has semper' optimae sunt. Sed ‚deflere' absolute dici posse et dictum esse, ipse Lachm. defendit

Manil. IV, 748 ‚Et minui deflevit onus dorsumque levari'

et Apul. met. 4, 35 fin. ‚Psychen paventem ac trepidam et in ipso scopuli vertice deflentem', quibus addi potest Iustin. 18, 4, 13. Quos quidem testes L. Muellerus ut inelegantes, nec minus eos, quos ipse addidit, Avian. 1, 1 et carminis, quod inscribitur ‚Orestis tragoedia', auctorem (Dracontium fortasse cf. Teuffel. röm. Lit.-Gesch. 475, 7) v. 860 ut nimis seros repudiat. Sed omnino verti posse eo modo huius verbi notionem, exemplorum,

quae extant, copia demonstratur, deinde etiam a bonis poetis verti potuisse et certe versam esse, a Propertio h. l., conprobatur analogia (de qua cf. Lachm. ad V, 11, 21), quam Hertzbergius in aliis maximi facit, hoc loco autem refutat, quia ‚in verbo ‚flere' vim transitivam nimis sanxisse videtur communis loquendi usus' — an potius, quia in promptu habuit vir doctus miram istam coniecturam ‚Has mihi ter eqs.'? Nam ‚adoro' cum Verg. Aen. 10, 677, Ov. her. 10, 141 absolute adhibuit Prop. I, 4, 27, neque minor in ‚oro' transitiva vis inest atque in verbo ‚flere'. Attamen dixit Propertius nec quisquam oppugnat, nimirum quod Vergilii et Ovidii praesto sunt exempla. Neque aliter ut hic ‚adoro', illo loco ‚deflere' absolute dictum est simplicis verbi vi compositione aucta, ut notio efficiatur ‚large flere.' Similia etiam exempla, apud unum Prop. obvia, eundem usum vindicant, nempe

concredere, quod non nisi cum accusativo eius, quod concreditur, coniunctum eadem sententia ac ‚committere alci. alqd.' invenies, solus Prop. absolute adhibet pro ‚confidere alci.'

I, 10, 11 ‚Sed quoniam non es veritus concredere nobis'.

relevare accusativo non addito, ut ‚iuvare' adhibere solebant, absolute dicitur:

I, 14, 22 ‚Quid relevant variis serica textilibus?'

plane positum pro vulgari ‚quid iuvant?' Eodem quidem sensu, sed adiecto ‚curas' vel ‚animum' ‚relevare' verbum saepissime occurrit, sine casu nisi h. l. Propertiano nusquam.

Notissimum deinde inter poetas et vere poeticum verborum mutationis genus est metaphora. Quam Propertium cum in aliis tum praecipue in eis adhibuisse significationibus, quae ad amorem pertinent, iam saepius observavimus neque idem in verbis occurrere ullo modo mirabimur. Cuius generis quae sunt vulgaria, omitto, nova autem sunt haec:

tabescere de amore primus absolute adhibuisse videtur; nam quod dixit Verg. Aen. 6, 442:

‚Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit',

breviter Prop. I, 15, 18:

‚Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Ut semel Haemonio tabuit hospitio'.

Idem postea praebuit Ovidius; cf. met. 3, 444 (adde 487 sq.), al.

Cum pallor autem et tabis et amoris signum sit (cf. Prop. I, 5, 21; Ov. a. a. 1, 729), etiam

pallescere et **pallere** saepius a Propertio de amantibus adhibentur; tamen per se idem significare apud Propertium atque amare vel vehementi amore affici, quod ad I, 13, 7 lexica praedicant, adfirmari non potest. Nam quamvis concedendum sit, ad eam notionem prope accedere et

I, 1, 22 ‚Et facite illa meo palleat ore magis',
I, 9, 17 ‚Necdum etiam palles, vero nec tangeris igni'
et I, 13, 7 ‚Perditus in quadam tardis pallescere curis',

tamen neglegi non debet, hoc ultimo loco ‚pallescere' verbum cum ‚tardis curis' coniungendum esse, non, ut voluerunt, cum ‚in quadam', quocum ‚perditus' arte cohaerere, iam ordo verborum demonstrat. Sed vere inest ea notio in:

IV, 7, 28 ‚Semper in irata pallidus esse velim',

ubi fervidam poeta sibi optat puellam. Imitatur autem Propertium Ov. am. III, 6, 25:

‚Inachus in Melie Bithynide pallidus isse
Dicitur';

cf. quoque a. a. 731 sq.

Sed alium verbi ‚pallere' usum singularem hisce inserere liceat; legimus enim:

I, 15, 39 ‚Quis te cogebat multos pallere colores
Et fletum invitis ducere luminibus?'

Quod mire dictum esse, Marklandus adnotaverat et addidit Hertzb. ‚Et revera admirabile dictum est et vere γραφικῶς, nec, credo, minus eo pulchrum, quod novum est et sine exemplo' eqs., conparat autem:

I, 6, 6 ‚Mutatoque graves saepe colore preces',

ita ut sensus sit ‚vultus colorem varie mutare'. Aptum quidem est ea h. l. interpretatio; variare enim solet colorem vultus, ubi animum aliquid fortius commovet, sed audacissime pallor

dictus est versicolor; nam quae iam Passeratius, ut, non unius esse coloris pallorem, conprobaret, congessit exempla plurima, tamen per se quidque unum modo et certum palloris colorem exhibent. Attamen ea sententia tantum veritatis, qua genuinam se commendet, prae se fert, ut concessa Propertio audacia coniecturis abstineamus. Et servaverunt omnes critici eam codicum scripturam praeter Heinsium, qui ‚nullos' coniecit, et Baehrensium, qui ‚malim multo p. colore, ut hoc illi invitis luminibus contrarium sit' in apparatu crit. notavit. Quarum coniecturarum alteri qui patrocinaretur, nemo extitit, alteri certe nemo exsistet: minime enim accusativum, quem vocant graecum, tangendum esse puto; immo, ea ipsa structura suspicionem mihi movet, imitatum Graecorum aliquod exemplum eo audaciae processisse Propertium.

De altera nunc metaphora, nempe amoris cum igni comparatione, de qua iam supra (pag. 34 sq.) egimus, quamque cum illa altera coniunctam repperimus I, 9, 17 supr. l., nunc erit sermo:

flagrare enim, quod de vehementi amore, sed addita plerumque amoris significatione, et prosae scriptores et poetae usurpare solent, a Propertio non nisi absolute poni, non est quod miremur:

II, 3, 33 ‚Hac ego nunc mirer si flagrat nostra iuventus?'
IV, 18, 13 ‚Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo'

et graeca structura:

I, 13, 23 ‚Nec sic caelestem flagrans amor Herculis Heben',
cui cf. Verg. ecl. 2, 1:

‚Formosum pastor Corydon ardebat Alexin';

succendere autem pro ‚corripere amore' ut ‚accendere' (I, 20, 45; Verg. Aen. 4, 364 cf. 7, 550; al.) absolute nescio an primus dixerit:

I, 2, 15 ‚Non sic Leucippis succendit Castora Phoebe',
IV, 18, 15 ‚Crimen et illa fuit patria succensa senecta';

apud priores enim poetas nullum indagare potui exemplum, sed ‚urere' apud Catullum (72, 5 cf. 61, 177 sq.), Verg. (Aen. 4, 68; ecl. 8, 83, cui add. 2, 68; ge 3, 215), Horat. (c. 1, 19, 5; ep. 11, 3) frequens fuit, quod Prop. et III, 18, 8; IV, 8, 45; 18, 25 praebuit et

II, 3, 43 ‚Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois,
Uret et Eoos, uret et Hesperios'

mira necessitate cum illo Tibulli:

IV, 2, 11 ‚Urit seu Tyria voluit procedere palla
Urit seu nivea candida veste velit.'

Novum autem et fortissimum Propertius addidit

comburere verbum, de amore adhibitum:

III, 28, 29 ‚Ut Semelast combustus, ut est deperditus Io',

quo in versu alia etiam amoris metaphora inest: ‚deperditus' enim eo sensu et hoc loco et iam apud Cat. 64, 119 absolute ponitur, quod saepius fit in simplici ‚perditus' (Prop. I, 13, 7); nec minus vulgaria sunt ‚perire' (I, 4, 12; 9, 34; III, 7, 13; 19, 25, cf. I, 6, 27; 13, 33; 15, 41) et ‚deperire', quod vero Propertius nullo exemplo perhibet. ‚Perire' autem, qui amarent, dici frequentius quam

mori, iam observavit Lachm. ad II, 4, 2; quod primus, quantum video, exemplis probavit Propertius:

I, 10, 5 ‚Cum te conplexa morientem, Galle, puella
Vidimus'

et III, 32, 91 sq.:

‚Et modo formosa quam multa Lycoride Gallus
Mortuus inferna vulnera lavit aqua',

ubi autem dubium est, utrum de vera morte an de amore intellegendum sit, qua de re cf. Lachm. et Hertzb. ad h. l. Imitando, sed, ut solet, caute idem expressit Ovidius:

a. a. 1, 372 ‚insano iuret amore mori',
am. II, 7, 10 ‚alterius dicor amore mori'.

Videas enim, quanto audacior metaphorae sit usus in Propertio, qui eo usque progressus est, ut primae et propriae eius verbi notionis quasi oblitus proloqui auderet:

II, 4, 2 ‚Acrius ut moriar, venerit alter amor.'

Sed haec de amore; nunc ad alia transeamus.

devehi, quae vox idem sibi vult ac ‚deorsum vehor' aut ‚de altero in alterum locum vehor, transferor,' a solo Propertio

translato sensu eodem modo usurpatur, quo ‚venire' in solemni illa forma ‚venio nunc ad' frequentissimi usus est:

V, 1, 119 ‚Hactenus historiae: nunc ad tua devehar astra'.

Similiter Verg. verbo ‚provehi' utitur:

Aen. 3, 481 ‚. . . . . Quid ultra
Provehor, et fando surgentes demoror austros'.

superbire: superbus, adiectivum, et de personis et de rebus aeque usurpatur, superbire, verbum, de personis plerumque (Prop. V, 1, 63), de rebus a primo Prop. adhibetur:

V, 5, 22 ‚Et quae sub Tyria concha superbit aqua'.

Recepit eandem verbi notionem Plin. n. h. XXXVII, 7 (31), 106 de sarda, gemma: ‚Hac certe apud Menandrum et Philemonem fabulae superbiunt'. Sed interest inter utriusque scriptoris usum, quod absolute plane Prop. nullo vocabulo adiecto ‚superbire' pro solito ‚splendere, fulgere' usurpat, quod quidem singulariter fecit; nam is, qui postea eandem vocis notionem testatur, Claudian. utroque quo profert loco (laud. Stilich. 1, 79, rapt. Pros. 337) e Plinii cautiore usu eam rem ablativo casu addidit, qua quid ‚superbiat'.

Sequuntur ea verba, quibus praegnantem subdidit vim. Atque de canendo novum adhibuit:

fari, quod verbum cum de omni narratione tum de oraculis praecipue et vatibus fuit in usu, Propertius de suo carmine eodem sensu ac ‚canere' vel ‚carmine efferre et illustrare' usurpavit:

V, 4, 2 ‚Tarpeium nemus et Tarpeiae turpe sepulchrum
Fabor et antiqui limina capta Iovis.'

Tamen aliqua vaticinandi notio etiam h. l. in verbo ‚fari' restat; cf. enim simillimum alterius eiusdem generis elegiae eodemque certe tempore, a Propertio sc. iuvene, confectae exordium:

V, 10, 1 sq. ‚Nunc Iovis incipiam causas aperire Feretri
Armaque dē ducibus trina recepta tribus'.

E contrario autem, ut ita dicam, notionem mutavit verbi

proloqui, de cuius sensu Varro l. l. 5, 7 ‚Prolocutum dicimus, cum animo, quod habuit, extulit loquendo', et hac sententia

ubique usurpatur. Solus Propertius pro ‚praedicere, vaticinari' hoce verbum adhibet IV, 12, 59:

‚Proloquar, atque utinam patriae sim vanus haruspex!'

De amoris commercio duorum verborum praegnantem notionem nobis primus testatur Propertius; primus enim

rogare plane absolute adhibuit de eo, qui, ut amori suo respondeatur, petit.

V, 5, 42 ‚Nec te Medeae delectent probra sequacis
(Nempe tulit fastus, ausa rogare prior)'

et, in quibus minus haereas: IV, 13, 31

‚Nec quae sint facies nec quae sint verba rogandi
Invenias',

I, 5, 32 ‚..... non inpune illa rogata venit',

apertius autem addito ‚aliquid':

II, 4, 12 ‚Saepe roges aliquid, saepe repulsus eas'.

Idem conprobatur Ovidio, accusativo tamen addito:

am. I, 8, 43 sq. ‚..... casta est, quam nemo rogavit
Aut si rusticitas non vetat, ipsa rogat';

cf. ibid. II, 2, 5; a. a. 1, 277.

Ut autem supra ‚rogare' nullo verbo addito praegnantem eam habet sententiam, sic etiam illud, quod opponitur,

negare sine obiecto, dativo autem adiuncto, eadem praegnanti significatione de amore dicitur:

III, 30, 60 ‚Nec minus aerato Danae circumdata muro
Non potuit magno casta negare Iovi',

V, 5, 5 ‚Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem,'

apertius III, 15, 11:

‚Quae si forte aliquid voltu mihi duro negarat';

conferri potest iterum Ovidius, qui coniuncta eo sensu adhibuit:

am. II, 19, 20 ‚Saepe time aliquid, saepe rogata nega'

itemque a. a. 1, 344 sq.

obdurescere, verbum, translato sensu saepissime legitur, propria autem sententia non fere nisi priscae aetatis testes habet:

Caton. R. R. 50, 2, Plaut. Truc. 916, Varron. R. R. 3, 14. Propertius singulari notionis vi adhibuit pro ‚mutari, rigescere in lapidem':

III, 20, 13 ‚Gorgonis et satius fuit obdurescere vultu?'

cf. II, 9, 48 ‚Ille vir in medio fiat amore lapis.'

secubare, quod proprie est ‚seorsum cubare', saepissime dictum est de femina, quae sola dormiat, nonnunquam quoque de viro. Singulariter eam vocem posuit Propertius pro ‚seorsum vitam degere':

III, 20, 5 ‚Miles depositis annosus secubat armis',

cuius loci interpretem habes Horatium, qui in simili argumento, de gladiatorio sene et in arenam descendere abnuente

ep. I, 1, 4 sq. ‚. . . . . Veianius armis
Herculis ad postem fixis latet abditus agro.'

Eadem notio occurrit in Apul. met. 4, 20 ‚Omnium ora et obtutus in uno quempiam augulo secubantem conferuntur.'

conferre verbum propria notione pro ‚conportare, congerere' uno tantum loco a Prop. adhibetur:

II, 3, 25 ‚Haec tibi contulerunt caelestia munera divi.'

Praecipue autem eadem voce utitur pro ‚conparare alicui alqd.' I, 4, 9; 5, 7; III, 24, 9; IV, 24, 7; V, 11, 89. Deinde ‚se conferre' apud alios vulgari usu dicitur pro ‚aliquo proficisci, ire' et translato sensu pro ‚se adplicare ad alqm. rem', ut apud Ciceronem ‚ad studium, ad amicitiam, in fidem et clientelam se conferre' nemo non legit. Mira autem audacia Prop. idem adhibuit:

III, 19, 33 ‚Noli nobilibus, noli conferre beatis'.

Nam praeterea quod accusativum ‚te' omisit (qua de re videbimus tertia harum quaestt. in particula), singularem subdidit notionis vim: Nihil enim aliud hoc loco ‚se conferre' significat ac ‚se dare, morigeram esse' venereo sensu. Quam sententiam ut accipiamus, aperte brevis versus postulat:

‚Vix venit, extremo qui legat ossa die',

qui quomodo cum longiore cohaereat non intelleges, si cum Broukhusio et al. etiam hoc loco ‚conferre' subaudito sc. ‚me'

pro ‚conparare' dictum credas. Attamen iam Heinsius, quid voluerit poeta, sensisse videtur, quamvis, quam proposuit, emendatio ‚te offerre' non quadrat ad h. l.; non enim, quod sese divitibus offerret, sed quia eisdem poscentibus nimis esset parata et confisa, Cynthiam obiurgat poeta, neque aptae sunt ceterae coniecturae, Eldikii ‚confidere lautis', Schraderi ‚gaudere', neque omnino, cur corruptum suspicemur hunc locum, habemus causam, dummodo iustam teneamus interpretationem.

fulcire verbum et apud alios usitato sensu positum videmus pro ‚sustentare, firmare' et apud Prop. V, 11, 32; IV, 1, 49; 6, 50 et translate V, 11, 69. Et illud addere voluerunt, quod legimus:

I, 8, 7 ‚Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas',

interpretati ‚inpositas corpori ferre et sustinere pruinas', quo imaginem inelegantissimam insinuant Propertio, qui nivem tanta mole in teneram suam puellam inruentem, ut eo onere quasi opprimatur, profecto nusquam finxit. Sed ‚fulcire' verbum hoc loco premendi vel calcandi habere significationem, ablativo ‚pedibus teneris' aperte indicatur. Cui singulari sententiae conpares Graecorum ‚ἐρείδειν' et — si licet — Francogallorum ‚appuyer', quae modo sustentandi, modo premendi notionem habent, nec si quis Graecorum ex exemplo Latini verbi sensum mutasse Propertium contendat, obloquar.

Enumerandus denique in hoc numero est verbi

corruere apud Propertium usus elegantissimus. Verbum ‚cadere' praegnanti vi pro ‚necari in proelio' dici, pervulgatum est et Propertius in ea re idem adhibet II, 9, 49; IV, 11, 14. Efficacius etiam et verius conposito verbo ‚concidere' in eodem argumento utitur:

V, 1, 96 ‚Concidit ante aquilae rostra cruenta suae.'

Praecipue autem in morientis casu depingendo amasse videtur verbum ‚corruere'; sic:

II, 8, 22 ‚Corruit ipse suo saucius ense latus.'

Sed hoc commune habet cum Verg. Aen. 10, 488 ‚Corruit in vulnus.' Ultra autem processit Propertius; nam non modo plane absolute ‚corruere', ut solebant ‚cadere', pro necari adhibet nulla

voce addito, ita ut e sententia ea notio intellegatur necesse sit, sed etiam eadem hac cum audacia in sacrificiis eo verbo utitur pro ‚mactari.' Utrumque habes coniunctum V, 10, 15 sq.:

‚Iuppiter, haec hodie tibi victima corruet Acron.
Voverat, et spolium corruit ille Iovi',

de victimis III, 12, 14 ‚Haedus ubi agrestes corruet ante focos', ad q. cf. V, 6, 2 ‚Et cadat ante meos icta iuvenca focos.'

Sed in alterum iam genus delapsi sumus: nam iunctura eorum, quae ultima enumeravi, notio mutata est. Quaestione igitur de vocabulis novum in modum a Propertio translatis absoluta disserendi finem facio. Quae vero de iuncturis novis ac peculiaribus mihi observata et conscripta sunt, tertiam harum quaestionum particulam, quam primum dabitur facultas, foras dabo.

TYPIS EXPRESSERUNT R. SCHULTZ ET SOCII.